OBSERVATIONES HUXHAMII

DE AËRE,

ET

MORBIS EPIDEMICIS,


Ab Anno 1749 ad Exitum uſque Anni 1752.

TOMUS TERTIUS.

A Patris Manuſcripto edidit.

J. COR. HUXHAM, *A.M. R.S.S.*

Ἰητρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Hom. Iliad. Lib. xi. Ver. 514.



LONDINI:

Impenſis JOANNIS HINTON, ad *Arma Regia*, in Vico dicto *Pater-noſter Row.* MDCCLXX.

VIRO DOCTISSIMO, & DIGNISSIMO,

JACOBO WEST, ARMIGERO,

REGIÆ SOCIETATIS LONDINENSIS

OPTIME MERENTI PRÆSIDI,

ET

SOCIIS CELEBERRIMIS,

HAS HUXHAMII OBSERVATIONES

DE AËRE, & MORBIS EPIDEMICIS,

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. D.

J. COR. HUXHAM.

L E C T O R I

S.

SCRINIA Patris mei optimi, & eruditi, perſcrutanti, Obſervationes ſequentes de Aëre & Morbis Epidemicis pulchrè tranſcriptæ mihi occurrebant. Inventis gaudebam.—Et quum priora ſua Opera non ſolum placuiſſe, ſed etiam prodeſſe, omnes conſentiunt: Has Obſervationes Publico minimè ingratas fore credidi.—Prælo igitùr lubenter commiſi: Et ſiquid Commodi, aut Utilitatis, hinc recipiant Imbecilli & Ægrotantes, ſummâ me afficiet Voluptate.——Vale, candide Lector, & his utere mecum.—

DE AËRE,

ET

Morbis Epidemicis,

ANNO MDCCXLIX.

EXIIT Annus 1748 continuas inter Pluvias, Procellas atque Diluvia; nec utique lætiore Vultu intrat præſens, quinimo certe pejore—toto ruit Æthere Nimbus—Limo conteguntur omnia & Aquâ, Aër humidiſſimus ac caliginoſus maxime, Cœlum triſtiſſimum, Libs fere perpetuus, ſæpe furens admodum; dira haud raro Fulgura, Pluviæ Quantitas plane ſtupenda.—Longe acerbiſſima Frigora prope *Moſcow* à 10 ad 14. Prudenter adeo olim inſtituerunt Majores noſtri hoc Anni Tempore, Ludos, Epulas Foca luculenta, ad fallenda nimirum ſolita gravis hujus Tempeſtatis Incommoda.

Pluvia

Pluvia $\overset{''}{1}$. $\overset{'''}{2}$. $\overset{'}{3}$. 4. $\overset{''}{5}$. 6. $\overset{'}{7}$. $\overset{''}{8}$. $\overset{''}{9}$. $\overset{'''}{10}$. $\overset{'}{11}$. $\overset{''}{12}$. 13. $\overset{'''}{14}$. 15. $\overset{'}{16}$. $\overset{''}{17}$. $\overset{''''}{18}$. $\overset{''}{19}$. $\overset{''}{20}$. 21. 22. —— $\overset{'}{23}$. $\overset{'''}{25}$. $\overset{'''}{26}$. $\overset{'}{27}$. $\overset{''}{30}$. 31. Grando 11. Dig. Dec. 16. 22. 23. Nix 28. = 8.808.

Fulgur & Tonitru ſæviſſima 10 toto ferè Die—11 gravia p. m. Fulgura lucidiſſima 15 Veſperi. Fulgur & Tonitru 17 Nocte. Procella 1 Nocte S b W 4_x.—7 Nocte S S W 4_x—9 Noctu S W b W 4_x—10 & 11 W S W 4—15 S W 4—22 Nocte N W 4.

Immenſi Maris Æſtus 10 & 11 Littora ubique inundantes—Rigidum Gelu 28 & 29. N N E 1^x.

☿ Altitudo maxima 29. 30,1 N N E 1^x. } media 29.3$\frac{22}{31}$.
——— minim. 11. 28. 3. W S W 4. }
Dies frigid. 29. 72.——— } media 56$\frac{2}{3}$.
—— tepid. 5. 48. S W b W 3^x. }

Variolæ plurimæ eæque plerumque benignæ, præſertim ubi lenis accedit Alvi Fluxus, qui jam ſane Salivationis Vicem

præſtare

præſtare haud raro videtur, etiam in Adultis.

Perplurimi acri laborant Tuſſi ac Coryza cum Tumore Faucium Dentiumque Dolore acerbo—Perfrequens eſt Morbus Colicus, in quo † Alvus aſtricta admodum vix cedit Purgantibus fortiſſimis; ſed hoc accidit utplurimum in Colica à Pomaceo impuro novello. Rheumatiſmi multi valdepertinaces.

Etſi Tempeſtas tam horrida regnat: pauci equidem ſæviunt Morbi, ſaltem pauciſſimæ Febres quod utique haud rarò notavi.

FEBRUARIO.

Ab Initio *Februarii* Pluvia haud parca, interdum Libs, ſæpe Corus, Aër denſiſſimus; à decimo ab Oriente venit Ventus, vergens plerumque ad Auſtrum. Medio porro Menſe Apricitas; ad Finem flante Vulturno Pluvia gravis: vix ulla Glacies hoc Menſe.

---

† Vide Opuſculum de Morbo Colico Damnonior: Ad Finem Vol. I. Pag. 5.

Pluvia $\overset{'''}{1}$. $\overset{'}{2}$. $\overset{'}{3}$. $\overset{''}{4}$. 5. 6. $\overset{''}{7}$. 8. 16. 18. 23. 25. 26. $\overset{'''}{27}$. $\overset{''}{28}$. Grando 2. 8. 25.=2.820. Dig.Dec.

☿ Altitud. maxim. 16. 30.2. N E 1^x.
—— minim. 4. 28.8. N W. 2. } media $29.6\frac{16}{28}$.
Dies frigid. 5. 63. N W b N 1^x.
—— tepid. 26. 52. S E 3. } media $54\frac{21}{28}$.

Permultæ adhuc Variolæ: Tuſſes, Deſtillationes, ac Faucium Tumores maxime frequentes, multos Rheumatiſmus laceſſit, multo tamen plures Morbus colicus acerbiſſimus cum Alvo duriſſima qui in Brachiorum Paralyſi interdum deſinit: Peripneumoniæ paſſim plerumque nothæ à nimia Colluvie Humorum unde etiam & quædam Febres catarrhales, quæ longe melius Purgantibus fugantur quam Sanguinis Miſſione.

MARTIO.

Incipiente *Martio* Ventus inconſtans, Aër craſſiſſimus; à 13° Eurus prævaluit; frigidior

frigidior hinc Tempeſtas, at lætior multo. Sub Finem Pluvia affatim.

Pluvia $\overset{\prime\prime}{1}$. $\overset{\prime\prime}{5}$. 6. $\overset{\prime}{7}$. 9. $\overset{\prime\prime}{10}$. $\overset{\prime\prime\prime}{11}$. $\overset{\prime}{12}$. $\overset{\prime}{21}$. $\overset{\prime\prime}{23}$. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{24}$. $\overset{\prime}{25}$. 26. 27. 28. $\overset{\prime\prime\prime}{29}$. Nix 18=4.340. Dig. Dec.

AB. 7. H. 10. p. m. N W 1. levis. *AB*. 25. H. 9. E b S 2—27. H. 8. N E 1^{x}. Rigidum Gelu 17. 18. 19.

☿ Altitud. maxim. 15. E b N 3. 30.2. } media 29.6$\frac{26}{31}$.
——— minim. 26. 29. 0. S E 3x. }

Dies frigid. 18. 70. E N E 2. } media 53$\frac{1}{2}$
—— tepid. 30. 48. E 3. }

Plures uſque Variolæ, Pleuritides & Peripneumoniæ aliquæ, frequens Rheumatiſmus. Tuſſes & acerbiſſimæ ſæviunt multum, pauciſſimæ Febres tamen.—In omnibus pene Morbis dominari videtur ſeroſa Colluvies.

APRILI.

Ineunte & exeunte hoc Menſe Ventus ab Oriente prævaluit, medio autem Libs, ſubinde Corus, Aër craſſus; Initio autem, & ad Finem tenuis.

Pluvia $\overset{'''}{3}$. $\overset{'}{4}$. 5. $\overset{'''}{10}$. 11. $\overset{''}{12}$. 13. 15. $\overset{'}{18}$. 19. $\overset{'}{23}$. 26. Grando 4=2.670. Dig. Dec.

AB. 6. H. 8. p. m. N N E 1^x.—Permagna 7. H. 9. p. m. N b E 1—28 H. 10. E 1. Fulgur, Tonitru, & vehementissima Pluvia inundans prope *Oxoniam*, *Cheltenham*, &c. 27, ne Gutta hic; ad N E autem in *Exmore* Tonitru & Pluvia gravissima eodem Die.

☿ Altitud. maxim. 7. 30.0. N N E 1^x. } media $29.5\frac{17}{30}$.
——— minim. 4. 28.8. S W 3.
Dies frigid. 7. 60. } media $44\frac{2}{3}$.
—— calid. 28. 24. E 1.

Variolæ jam plurimæ; at plerumque benignæ. Pleuritides quædam & Peripneumoniæ: atqui Tempestas est utplurimum valde salubris.

Maio.

Fuit per Mensis Initia haud leve Frigus pro Anni saltem Tempore, etiam ipsa Glacies Mane 3° & 4°, Nix aliqua 3^{tio};

Pluvia

Pluvia frequens ad 10^{m} uſque, Ventus inconſtans—Poſt autem lætiſſima Tempeſtas, Sol fervidus, Aër ſiccus ac pertenuis. Ventus plerumque Borealis, Barometer vero parum elatus.

Pluvia 3. 4́. 5. 6. 7. 8́. 9́. 10. 2́5. 26. Dig.Dec. 27. Nix & Grando $3^{o} = 1.012$.

AB. 1°. H. 9. N N E 1. maximus Globus igneus in Aëre viſus ad S E circa Meridiem 17, qui diſploſus evanuit magnæ Pruinæ 28. 29.

☿ Altitud. maxim. 13. 29.8. N b W 1. } media $29.5\frac{8}{31}$.
—— —— minim. 5. 29.1. S 3^{x}.
Dies frigid. 3. N 2. 53. } media $33.\frac{10}{31}$.
—— fervid. 17. 16. malacia.

Variolæ adhucdum; Peripneumoniæ aliquæ veræ, Tuſſes aſthmaticæ plures: Tabe pulmonaria pereunt multi. Angina valde maligna in *Cornubiâ* inter Pueros, circa St. *Auſtle*, *Leſtwithiel*, &c. & oriri videtur Tabes hæc funeſta ab acri Deſtillatione; quæ diu jam permultos laceſſivit, imo & haud paucorum Pulmones eroſit;

unde Tuſſis importuna valde ac vehemens, tandemque nimis frequenter Sanguinis Sputum, atque demum in Bronchiorum Cavis Ulcera.—Huic igitur Malo occurrendum eſt quantocyus, mox aliter cita Phthiſis ſequitur—Hic adeo interpollet plurimum Balſamum naturale, quale nempe Gileadenſe, Copayba ſeu ipſa Terebinthina Chienſis. Quid valent ad Ulcuſcula hæcce videmus clariſſime in Gonorhœa virulenta; ſive Urethræ Ulcuſculis; quæ nimis cito ſæpe ſanant, neque id quidem ſpecifica quadam Virtute contra virulentum iſtud Profluvium, nam Ulcera ſiſtunt, relicto Veneno.—Si tantum ergo valet in Urethra, quidni in Tracheæ Fiſtulis?

JUNIO.

Junio incipiente Pluvia, Ventus Septentrionalis, medio etiam, Pluvia ſubinde; ſub Finem fervida Tempeſtas, nunc Coro nunc Africo ſpirante, Aër interim tenuis & ſiccus.

Pluvia

Pluvia 1. $\overset{\prime}{2}$. $\overset{\prime\prime}{3}$. 4. 5. 14. $\overset{\prime\prime}{15}$. 16. $\overset{\prime\prime\prime}{17}$. 18. Dig. Dec.
Grando 3=1.892.

Fulgur & Tonitru ad Occidentem 5. Graviſſima Procella cum Fulgure & Tonitru 17 à primo Mane S W 4ˣ. *AB.* 26. H. 10. N b W 1.

☿ Altitud. maxim. 27. 30.0. N b W 1.	} media $29.5\frac{2}{3}$.	
——— minim. 17. 29.0.		
Dies frigid. 16. 48. N 1.	} media $33\frac{7}{30}$.	
——fervid. 28. 16. W S W 1x.		

Variolæ aliquæ, Anginæ plurimæ mali admodum Moris in *Cornubia* circa *Liſkeard, Leſtwithiel,* St. *Auſtle,* perplures ſane jugulant Pueros; paucæ etiam hic, & per viciniam.—Cæterum Tempeſtas eſt maxime ſalubris, rariſſima Funera.

Julio.

Imbres frequentes medio, & Aër valde craſſus, Cœlum fervidiſſimum Initio; à 4 ad 10 omni Veſperi, mox poſt Solis Occaſum, innumeræ Nubes coccineæ pulcherrimæ,

rimæ, Ventus varius hoc Menſe, Auſter attamen prævaluit.

Pluvia 2. 4. $\overset{\prime}{12}$. 13. 16. 17. $\overset{\prime\prime}{18}$. 19. 20. 23. 24. 27. 28. 31=1.052. Dig.Dec.

Maxima Pruina 31. Levis Procella 15 a. m. W S W 4_x.

☿ Altitud. maxim. 9. 29. 9. N N E 1.
——— minim. 12. 29. 3. W S W 2_x. } media 29.5$\frac{10}{28}$.

Dies frigid. 18. 34. W S W 2^x
——— longe fervidiſſima 1. 12. E b S 1 } media 25$\frac{15}{28}$.

Variolæ adhuc paſſim; Ophthalmiæ plurimæ; Febres quædam rheumaticæ & pleuriticæ, Colica multos torquet, perplurimos exercet Diarrhœa: Coryza, Tuſſis, ac Tumor Faucium frequentes. Cephalalgiæ & Hæmorrhagiæ haud paucos corripiunt, ob Æſtum forte enormem.

AUGUSTO.

Fuit & hic Menſis calidus, & ſiccus ſatis, præſertim poſt Diem ſextum, unde læta Meſſis optimumque Frumentum: Boreas ſæpe flavit, ſæpe Corus: ſub Finem Atmoſ-

Atmosphæra pertenuis. Maximæ subinde Rorationes.

Pluvia $\overset{\prime\prime}{\overline{2}}$. 3. 4. $\overset{\prime\prime}{\overline{5}}$. $\overset{\prime}{\overline{6}}$. $\overset{\prime\prime}{\overline{10}}$. 14. 23. $\overset{\prime}{\overline{31}}$. = Dig.Dec.
1.572.

☿ Altitud. maxim. 17. 29.9. N E b E 1 } media 29.5$\frac{21}{28}$.
——— minim. 2. 29.1. W N W 1 }
Dies frigid. 31. 34. N 1. } media 27$\frac{13}{28}$.
——fervid. 21. 20. E b S 2. }

Jam paucæ tantùm Variolæ; Morbilli passim, Angina quædam ulcerosa maligna grassatur sparsim hic & per Viciniam; multo magis autem in *Cornubia*. Sæpe Fauces Gangræna corripiuntur, sæpe interior Tracheæ Membrana erosa frustatim ejicitur; tumet plerumque Collum totumque fere Caput, rubet porro flagratque admodum quasi ex Igne sacro—rubent pariter tumentque Manus, Fœtor Oris exit teterrimus, adest semper Anxietas intolerabilis, Jactatio perpetua, mox autem Delirium, aut maxima Somnolentia urget—Vomitio sæpissime accedit etiam utplurimum, Alvi Fluxus olidissimus—tam acris sæpe effluit

ex

ex Ore Sanies; ut Genas Labiaque etiam, & ipsas Manus erodit.

Plures Ophthalmia vexantur—Diarrhœa torminosa plurimi.—Perpauci aliter Morbi videntur, adeoque Funera sunt rarissima.

SEPTEMBRI.

Diem decimum nonum ad usque *Septembris* Ventus varius, Corus frequenter, Libs subinde, Pluvia haud parca, Procella interdum, aliquando tamen Apricitas—à vicesimo Ventus ab Oriente Nubes discussit, sudumque sæpissimè fecit Cœlum.

Pluvia 2. 3. 4. 5. 6. 10. 11. 12. 14. 15. 16. 17. 19.=3.156. Dig.Dec.

Procella 2 Nocte S S W 4x.—16 S W 4—19 Nocte S 4—20. E N E 4x. Nebula valde fœtida, 10. Immensus Maris Æstus 16 omnia inundans.

☿ Altitud. maxim. 28. 30.1. E N E 1. } media 29.7.
——— minim. 16. 29.1.

Dies

Dies frigid. 17. 48. W N W 2. } media $38\frac{16}{28}$.
—— calid. 3. 32. W 3.

Variolæ adhuc paſſim; Morbilli & Rubeoli multi præcipue apud *the Dock*; Anginæ plurimæ; quædam etiam valde malignæ per Viciniam, hujus Generis autem plures longe apud *Liſkeard*, St. *Auſtle*, *Leſtwithiel*, &c. eæque valde peſtiferæ.—Multi vehementiſſimâ Cephalalgiâ perculſi ſunt—Innumeri Tumore Faucium, Parotidum, Maxillarum, cum acerbo ſæpe Dolore corripiuntur: Hos Alvi Fluxus jam perfrequens juvat ſemper.

Plures Puerperæ nunc Febre miliari graviter affectæ ſunt.

Octobri.

Ad Diem viceſimum quartum *Octobris* alta fuit Baroſcopii Statio, parca interim Pluvia, Aer ſiccus, haud raro tenuis, Ventus ab Arcto plerumque flavit, ſæpe Boreas, ſæpius Corus.

Pluvia 1. 2. 8. 12. 13. 17. 20. 21 22. 24. 25. 28. 29. 30. 31 = 1.422 Dig.Dec.

C Maxima

Maxima Pruina, & Glacies 25 Mane NW 2. Nebulæ magnæ 22. 23. N N W 1.

☿ Altitud. maxim. 10. 30.3. E N E 2.	——— minim. 29. 29 2. S S E 2.	media 29.8 $\frac{18}{29}$.
Dies frigid. 30. 60. N N E 1.	——tepid. 7. 38. W N W 1ˣ	media 46 $\frac{5}{29}$.

Variolæ jam multo magis frequentes; ſed plerumque benignæ—Tumores Faucium, Colli, Parotidum, levi ſæpe cum Anginâ valde frequentes, adhuc Morbilli plurimi paſſim, præcipue apud *the Dock*. Perpauci aliter Morbi.

Novembri.

Per Initia *Novembris* Pluvia multa, Auſtro perflante, ab undecimo vix ulla, Ventus enim ab Oriente. Alta Mercurii Statio Cœlum autem nubilum plerumque, atque craſſum, ad Finem Gelu.

Pluvia 1. $\overset{''}{2}$. $\overset{''}{3}$. 4. $\overset{'''}{5}$. 6. $\overset{'''}{7}$. $\overset{'}{10}$.25 = 2.146 Dig. Dec.

Procella 7 Veſperi S S W 4_x. Nebulæ fœtidæ 3. 4. 8. 9. 19.

Altitud.

☿ Altitud. maxim. 18. 30.5. E N E 1x. } media $30.0\frac{11}{29}$.
—— —— minim. 5. 29,5. S b E 3x. }
Dies frigid. 30 62. E N E 1 } media $53\frac{1}{2}$.
——tepid. 8. 44. S W b S 2x. }

Morbilli jam undique maxime epidemici, imo & ſæpiſſime maligni, quippe Affectibus peripneumonicis ſtipati. Variolæ plurimæ—Tuſſes innumeræ——Tumores atque Dolores Dentium, Faucium, Parotidum, Maxillarum, &c. ubique—ſæpe levis Angina, pauci aliter hic Morbi—apud *Iſcanos* vero Febres mali admodum Moris epidemicæ, ac Morbilli valde lethales.

DECEMBRI.

Perhumida fuit & craſſa valde Atmoſphæra toto hoc Menſe; Barometer autem altum plerumque tenuit Locum, etſi multa interdum ruebat Pluvia à 15° ad 25^m Ventus Orientalis prævaluit iſque ſane perfrigidus, hinc acre ſubinde Gelu.

Pluvia 1. 4. 6. 7. 8. 10. 13. 14. 15. 18. 19. 26. 29. 30. Nix 12. 24=3.318 Dig.Dec.

C 2 Gravis

Gravis Procella 9 Nocte, & 10 Mane S W 4x—Jovis & Martis arctissima Conjunctio 22. H. 7. p. m.

☿ Altitud. maxim. 21. 30. 5. E N E 2x.	——— minim. 10. 29. 0.	media $29.8\frac{26}{31}$.
Dies frigid. 24. 71. E N E 2.	—— tepid. 9. 50. S W b W 3.	media $58\frac{24}{31}$.

Durant usque Variolæ, Morbilli maxime sunt epidemici, imo & sæpe pestiferi—Pustulæ seu Maculæ non sunt ita fastigiatæ; sed magis absconditæ aut luridæ, aut lividæ, iisque vanescentibus Tussis furibunda, sæpe ipsa Peripneumonia supervenit; sæpius autem Tormina sævissima atque Alvi Fluxus immanis—Pleuritides & Peripneumoniæ frequentes. Colica biliosa, atrox, torquet plurimos, quorum Alvus est plerumque valde astricta, & solutu difficilis perquam, Tusses vehementes ac Faucium Collique Tumores apud omnes fere.

Tota Pluviæ Quantitas Anno 1749= Dig. Dec.
34.208.

JANU-

JANUARIO.

Alta fuit Barometri Statio hoc Menſe, Aer vero craſſus admodum, & humidus; Vulturnus perflavit ſæpiſſime, præcipue à 10 ad 23, Libs interdum, Aquilo rariſſime, Boreas nunquam—humida adeo atque nebuloſa Atmoſphæra ſuſtinuit Mercurium. —Gelu nullum, imo vix aliqua Pruina. 9 Veſperi ♂ ♃ & ♀ formant Lineam rectam.

Pluvia $\overline{1}^{''}$. $\overline{2}^{''}$. $\overline{3}^{'}$. 4.— 6. $\overline{7}^{'}$. $\overline{13}^{''}$. 14. 17. $\overline{24}^{''''}$. 25. 26. 27. 29. $\overline{30}^{''''}$. 31. Grando 3. 30. $\overline{31}^{'}$.=4.338. Dig. Dec.

Procella 24. S S W 4 & tota fere Nocte —Gravis Procella à 29° ad Finem ipſum Menſis cum maximis Maris Æſtibus; etſi Dies aliquot poſt Novilunium graviſſima Pluvia. Fulgur & Tonitru ſæviſſimum 30 Nocte S W b W 4ˣ. Lux inſolita tota Nocte à 23 ad Finem uſque, etſi Cœlum erat Nubibus valde craſſis abductum; præ-

cipue

cipue 29, 30, & 31, furente Procella.—Quod quidem non raro obſervavi.

☿ Altitud. maxim. 8. 30.4. N 1.
—— —— minim. 31. 29.3. S W. 4[x]. } media $29.8\frac{16}{29}$.
Dies frigid. 11. 62. E S E 2.
—— tepid. 27. 50. S W b W 3. } media $55\frac{6}{29}$.

Plures adhuc Variolæ, Morbilli perdurant, ac valde ſunt epidemici malique plerumque Moris † graviſſima Tuſſi nempe, Suffocatione, ac peripneumonica Febre haudraro accedentibus—ſæpius Alvi Fluxu enormi. Tuſſes innumeræ, & acres admodum.—Pleuroperipneumoniæ & Pleuritides paſſim. Colica bilioſa ſævit plurimum.

Februario.

Per Initia *Februarii* humilis Baroſcopii Statio, multaque Pluvia, Ventus ab Occidente flectens ad Auſtrum, iſque ſæpe vehemens; Aer interea valde craſſus—à 13° ad

† Tarde admodum ſæpe erumpebant Morbilli etiam poſt ſex Dies Febre tamen catarrhali graviter urgente, cum Exacerbatione violentiore ſub Noctem; quaſi Febris fuiſſet Hæmitritæa.

ad Finem uſque altius multo ſtetit Barometer—Eurus interdum, Auſter ſæpe, Zephyrus, ſubinde ad ipſum Finem Aquilo frigidus.—Inſolitus fuit Atmoſphæræ Tepor hoc Menſe; nullum Gelu niſi ipſo 28°.—Florida ubique Tellus eſt, quaſi procedente *Aprili,* volitant Papiliones—Viperæ proſerpunt. Anemone Chelidonium minus, Lujula Violæ, Prunus ſylveſtris effloreſcunt undique—Apium Examen 23 apud *Ycalmpton* quod inſuetum maxime.

Pluvia $\overset{\prime\prime}{1}$. $\overset{\prime\prime}{2}$. $\overset{\prime\prime}{3}$. $\overset{\prime\prime\prime}{4}$. $\overset{\prime\prime}{5}$. 6. $\overset{\prime}{7}$. $\overset{\prime}{8}$. $\overset{\prime}{11}$. 12. 13. 14. 21. $\overset{\prime}{22}$. 25. $\overset{\prime}{27}$. Grando 3. 5. 27. Nix $\overset{\prime}{28}$. cum Grandine=3.128.
Dig.Dec.

Fulgura 1. 2. 5. 26. Fulgur & Tonitru 2. 4.

Procella 1 Nocte S 4^{x}—3 tota Die W S W 4—9 Nocte W S W 4_{x}—22 Nocte S 3—27 N W b W 4.

Per-

Permagna *AB*. 15 H. 8 & Zona lucidiſſima albiſſima N W b W 1. 15. 16.—8. 56. poſt.

☿ Altitud. maxim. 28. 30.2. N N E 3.	——minim. 5. 29.0. W 3^x.	media 29.7$\frac{3}{26}$.
Dies frigid. 28. 67.	——tepid. 22. 46. S b E 3.	media 51$\frac{6}{26}$.

Morbilli adhuc epidemici; jam tamen paulo magis ſunt benigni, hos autem conſequitur ſæpe ſæviſſima Tuſſis; imo haud raro Peripneumonia—Sæpius vero Alvi Fluxus enormis—Vermes crebro dejiciuntur—Morbi colici plures, Ophthalmia frequens, nec non Rheumatiſmus: Variolæ paucæ, Pleuritides aliquæ.

Martio.

Tepidus quoque fuit & hic Menſis, porro ad Diem viceſimum primum ſiccus Aer, interdum pertenuis.—Ventus plerumque Septentrionalis, intervenit Libs aliquando, ſubinde Corus—à xxi° nunc Libs, nunc Corus, Pluvia ſæpe—Tempeſtas ſane multo minus eſt frigida ſolito; floreſcit

florescit undique Humus; quasi exeunte *Aprili*; vix ullam notavi Glaciem, perraro utique Pruinam.

Pluvia 1. 9. 10. 11. 17. 18. 19. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 28. 29. Grando 18. 26. 27. Dig. Dec. 30=2.152.

Circius vehemens 26—29 Nocte: Fulgura plurima 27°.

☿ Altitudo maxim. 15. 30,3. E N E 1x. } media 29.8$\frac{10}{26}$.
——— minim. 29. 29.0. W S W 2.
Dies frigid. 28. 60. N N W 1x. } media 50$\frac{6}{26}$.
——— tepid. 11. 44. W S W 1.

Nullæ jam Variolæ, perpauci Morbilli, Ophthalmiæ passim, Pleuritides & Peripneumoniæ aliquæ, sed raræ—Morbi colici plurimi nec non Catarrhi.

APRILI.

Durat usque mitissima Tempestas; Pluviæ tamen satis, nec defuit Sol pulcher subinde: Per Initia Mensis perflavit Vulturnus; à 16° Boreas plerumque, Aër

interea tenuis valde, ſudumque ſæpe Cœlum.

Pluvia $\overset{\prime}{\overline{1.}}$ 3. $\overset{\prime\prime}{\overline{8.}}$ $\overset{\prime}{\overline{9.}}$ $\overset{\prime}{\overline{10.}}$ $\overset{\prime}{\overline{11.}}$ $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{12.}}$ $\overset{\prime\prime}{\overline{13.}}$ $\overset{\prime}{\overline{19.}}$ $\overset{\prime\prime}{\overline{20.}}$ 21. 22. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{23.}}$ $\overset{\prime\prime}{\overline{26.}}$ Grando 18. 24=3.344. Dig. Dec.

AB. valde lucida 3 media Nocte N N W 1—4 H. 10 p. m. N N W 2—Magna 20 H. 9. W N W 1. Gelu 5. N 1. Glacies 6. E b N 1. Procella 9. a. m. S E 4x.

☿ Altitud. maxim. 30. 30.1. E N E 1.		
——— minim. 8. 29.3. S S E 3.	}	media 29.6$\frac{10}{28}$.
Dies frigid. 5. 60. N 1.		
——tepid. 21. 42. S 1.	}	media 48$\frac{7}{28}$.

Nullæ nunc Variolæ—Morbilli adhuc plurimi paſſim—Ophthalmiæ frequentes, Eruptio puſtuloſa multorum Caput, atque Faciem infeſtat. Febres quædam lentæ, & nervoſæ—Pleuritides ac Peripneumoniæ multo rariores ſolito hoc Anni Tempore.

Maio.

Maio incipiente alta Baroſcopii Statio—Aër tenuiſſimus, Apricitas pulchra—Aquilo

lo primum, mox Boreas—à 10° Vulturnus pluvius, ſubſidente Mercurio; à 19° Ventus varius, Sol ſubinde, Pluvia frequens—Blandiſſima ſane fuit Tempeſtas—Arbores omnes, Frutices atque Paſcua florida ſunt quam maxime.—Immenſa Vis undique Scarabæorum maximorum; Anglice, *May Bugs, or Cock Chafers.*

Pluvia 11′. 12′. 14‴. 15. 16″. 19. 21″. 22′, 23‴.
′ Dig.Dec.
24. 27. 31.=2.474.

Fulgur & Tonitru ſæviſſima Veſperi 14.

☿ Altitud. maxim. 2. 30.2. N 1. } media $29.6\frac{14}{27}$.
——— minim. 17. 29.2. S S E 2 }

Dies frigid. 3. 46. N 1. } media $35\frac{6}{27}$.
—— calid. 15. 30. S S E 1ˣ. }

Nullæ jam Variolæ, pauci hîc Morbilli—ad Orientem tamen & Occidentem plurimi—Ophthalmiæ acerbiſſimæ permultæ, etiamque haud raro ſuppurantes—Anginæ & Ulcera Faucium multos infeſtant: Febris quædam putrida Catarrhalis paſſim ſævo cum Artuum, & Capitis Dolore accedente, interdum Phrenitide.

JUNIO.

Ipſo *Junii* Initio gravis Pluvia—ſicca vero poſtea Tempeſtas, & fervida valde—Eurus ſæpe flavit, ſæpius tamen Corus, Libs raro, maximi Calores fuere, Euro ſpirante.

Pluvia $\overset{\prime\prime\prime\prime}{\overline{1}}$ $\overset{\prime}{\overline{2.}}$ 6. 7. $\overset{\prime}{\overline{10.}}$ 12. 13. 15. 23. 24. 25. 26=1.446. Dig.Dec.

Fulgur & Tonitru 10. p. m. W S W 2—21. ad Septentrionem E S E 1. Calor enormis à 16 ad 22 incluſive.

☿ Altitud. maxim. 5. 30.0. N 1. } media 29.6$\frac{9}{30}$.
—— —— minim. 1. 29.2. S S E 1.
Dies frigid. 2. 44. N W 1ˣ. } media 28$\frac{1}{3}$.
—— fervidiſſi. 20. 13. E 1ˣ.

Morbilli paſſim frequentes valde—hic Loci autem nulli: Peripneumoniæ & Rheumatiſmi aliqui; perpauci aliter Morbi: Per Danmonium autem Auſtralem Febres multæ miliares, maxime circa *Totneſs*.

JULIO.

Julio.

Fuit & hic Menſis ſiccus admodum, & fervidus.—Ventus varius, plerumque Occidentalis, vergens ad Arctum: Æſtus vehementiſſimus ab octavo ad decimum quintum Diem, major certe quam hic Loci memini unquam: Humilis erat utplurimum Baroſcopii Statio, præcipue flante Auſtro.

Pluvia $\overset{\prime}{\overline{1}}$. $\overset{\prime}{\overline{5}}$. 7. 16. $\overset{\prime\prime}{\overline{17}}$. $\overset{\prime}{\overline{19}}$. 22. 23. $\overset{\prime\prime}{\overline{25}}$. 27. 28. $\overset{\prime\prime}{\overline{31}}$ = 1.552. Dig. Dec.

Fulgura plurima Nocte 15 S S W 1.—Fulgur & Tonitru cum Grandine 24 W 3. Procella, Fulgur, & Tonitru 31. a. m. S b W 4_x. Nebulæ 1. 2. 13. 26.

☿ Altitud. maxim. 8. 29.8. W b N 1.		media 29.4$\frac{24}{28}$.
—— —— minim. 31. 29.1. S W 4_x.		
Dies frigid. 28. 40. W N W 1.		media 26.$\frac{10}{28}$.
—— longe fervidiſſ. 11. 13. N 1.		

Febres anginoſæ peſtiferæ cum Maculis rubris, luridis, & Puſtulis valde frequentes apud *Cauſand* & *Kingſand* & per Viciniam.

 —Magis

Magis ſunt vulgares, & peſtilentes apud *Liſkeard*, *Fowey*, &c.—Morbilli ſparſi ſunt adhuc. Febres aliquæ putridæ, cum Exanthematibus. Tuſſis convulſiva paſſim inter Pueros, & Coryzæ, Diarrhœa, & Gravedo frequens ſub Finem Menſis.

AUGUSTO.

Per Initia *Auguſti* Pluvia multa—Ventus Auſtralis, & ſæpe nimboſus—Aër valde craſſus, & humidus: à 13° pulchra Tempeſtas atque calida, Coro utplurimum ſpirante ad Finem Subſolano.

Pluvia 1. 2. $\overset{\prime\prime}{4}$. 5. $\overset{\prime\prime\prime}{6}$. 7. 8. 10 $\overset{\prime\prime}{11}$. 12. 18.
Dig. Dec.
26. 29. 31.=1.902.

Procella 4. p. m. S S E 4_x——5 primo Mane S S W 4_x.

Nebulæ ſuper Aqua ſæpiſſime hoc Menſe, & maximæ Rorationes, Malacia frequens—Arbores innumeræ, & omnigenæ quæ ſpectant ad Meridiem exuſtæ ſunt, cum Fulgure tactæ.

Altitud

☿ Altitud. maxim. 27. 29.9. W b N 1.		media 29.5$\frac{19}{31}$.
——— minim. 2. 29.2. S W b W 2.		
Dies frigid. 25. 39. W N W 2.		media 32$\frac{16}{31}$.
—— fervid. 18. 26. Malacia.		

Morbilli adhuc in Viciniâ, hic nulli—Febris putrida cum Puſtulis, & Maculis rubris *(a ſcarlet Raſh)* paſſim graſſatur—Angina maligna cum Febre Eryſipelotèſâ & Ulceribus in Ore peſtiferis; imo interdum gangrænoſis, & fœtidis valde ſævit in citeriore *Cornubia*, præcipue apud *Milbrook*, *Cauſand*, & *Kingſand* inter Pueros imo & haud paucos jugulat. ——Perplurimi Canes rabidi.—Muſcæ infinitæ omnium Generum jam ſunt infenſiſſimæ.

Septembri.

Ineunte *Septembri* gravis Pluvia, Vulturnus Aër nebuloſus; à 6° ad 10 Eurus, tunc Corus; à 22° ad Finem uſque Boreas: Perpulchra Tempeſtas ſæpe hoc Menſe; Aër tamen craſſus plerumque.

Pluvia

Pluvia $\overset{''''}{\overline{1.}}$ $\overset{''}{\overline{2.}}$ 4. 5. 9. 10. $\overset{'}{\overline{12.}}$ 14. 16. $\overset{'}{\overline{17.}}$ Dig. Dec. 20=1.736.

Magna *AB*. 11 H. 10 N 1ˣ—12 Vesperi W N W 1. Maxima Pruina 16. W N W 1.

☿ Altitud. maxim.	26.	30.2.	N E 1.	media $29.7\frac{11}{26}$.
—— —— minim.	9.	29.2.	E S E 1.	
Dies frigid.	30.	46.	N N E 1.	media $33\frac{5}{26}$.
—— calid.	8.	26.	E 1.	

Rarissimi Morbi, paucæ jam Choleræ, Morbi colici atque Diarrhœæ multo minus frequentes quam assolent hâc Tempestate, vix aliqua Febris occurrit.—Salubris sane fuit admodum hic Autumnus; quod utique Benignitati Cœli haud Dubio debetur maxime. Ex Anni Constitutionibus Siccitates sunt pluviosis salubriores, Hippoc. Aph. 15. Sect. 3.

Octobri.

Venit ab Oriente Ventus toto hoc Mense, vergens plerumque ad Septentrionem, ad Austrum etiam haud raro, hinc longe frigi-

frigidior facta est Tempestas, sub Finem præsertim.

Pluvia 1. 6. $\overline{7}^{''''}$. $\overline{8}^{''}$. 13. $\overline{14}^{'}$. $\overline{17}^{''}$. 20.—22. $\overline{23}^{'}$. 27. 28. $\overline{30}^{''}$. $\overline{31}^{''}$. Nix 25. Grando 29=2.798. Dig. Dec.

AB. Vesperi 2. N E 1^x—Magna *AB*. 10 H. 9 N E 1.—Levis 11 Vesperi E N E 1—24 Vesperi N E 1—25 H. 8. N b W 1.

Rigidum Gelu 25. N b W 26 E N E 2. Procella 27 E b N 4_x.

☿ Altitud. maxim. 2. 30.1. N E 1^x. } media 29.5 $\frac{17}{30}$
——— minim. 7. 29.1. S E 2^x.
Dies frigid. 26. 70. E N E 2_x. } media 54 $\frac{11}{30}$.
——tepid. 1. 42. N 1.

Pleuropneumoniæ aliquæ, & Morbi colici—Tusses perplurimæ, pauci aliter Morbi.

Novembri.

Ineunte *Novembri* Pluvia multa, Baroscopii Depressio, Atmosphæra maxime crassa, Eurus velox; a sexto ad decimum

tertium Cæcias lenis, tunc ab Occidente Ventus; à decimo octavo ad vigesimum sextum Boreas frigidus interveniente, subinde Malacia; sub Finem Auster procellosus, & pluvius, Aër humidissimus.

Pluvia $\overset{/}{1}$. $\overset{///}{2}$. $\overset{//}{3}$. $\overset{////}{4}$. 5. 6. 14. 15. $\overset{///}{16}$. 17. 19. 24. $\overset{//}{26}$. $\overset{//}{27}$. $\overset{///}{28}$. $\overset{/}{29}$. $\overset{//}{31}$. Grando 4. 28. 30. Nix 20=4.520.
Dig.Dec.

Fulgura 28° Nocte—Vehemens Procella 30 Mane S S W 4^x.—Maximæ Pruinæ, & Gelu acre à 18 ad 26.

☿ Altitud. maxim.	8.	30.2.	E N E 2x.	media $26\frac{9}{24}$.
——— minim.	30.	28.6.	S S W 4^x.	
Dies frigid.	23.	73.	N E 2.	media $61\frac{21}{24}$.
—— tepid.	30.	52.		

Pleuritides ac Peripneumoniæ haud raræ——Tusses plurimæ permolestæ, Tumores & Dolores Faucium atque Dentium permultos vexant——Rheumatismus frequens nec non Diarrhœa torminosa—Per frigidum hunc Autumnum, (suppressa maxime Perspiratione) generatur acris Sanguinis

Sanguinis Colluvies; quæ varios inducit Corporis Affectus prout hæc nempe vel illa Pars eâ gravatur.

Sub Finem Menſis omnes pene Equi longe lateque graviſſima Tuſſi corripiuntur comitante Febre quadam Peripneumonica, & Coryza vehemente ſæpe anhelant maxime & Tuſſi moleſtiſſima anguntur—Ex Naribus vero omnes ejiciunt immenſam plane Quantitatem Muci valde craſſi ſubflavi deinde viridis interdum ſanguinei, Strigmentis immixtis, ſoporoſi fiunt, debilitantur admodum, & Eſcam omnigenam prorſus reſpuunt, ad Sudores ſunt maxime proclives, tremuntque plurimum —Sanguis horum emiſſus eſt denſus admodum viſcidus & flavus ſæpe niger, aut lividus; quod mali ſemper eſt Ominis: Si Tuſſis ſupprimitur cito, nimis parumque per Nares reddunt, pereunt brevi utplurimum pereunt—Qui in Stabulis detenti ſunt, pejus ſe habere videntur quam in Agris—ad unum fere omnes ægrotant etſi haud multi pro Numero moriuntur.

Decembri.

Ad Diem decimum *Decembris* Libs valde pluvioſus; ſubinde etiam Corus, inde ad viceſimum ſextum nunc Vulturnus, nunc Boreas, ſæpius tamen Eurus, ad Finem Libs, iterum humidiſſimus. Atmoſphæra maxime craſſa.

Pluvia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 17. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. Grando Dig. Dec. 1 = 4.702.

Procella Veſperi & tota Nocte 2 S W 4^x cum Fulgure & Tonitru—3 Mane W b N 4_x maximæ Pruinæ ac Gelu rigidum à 18 ad 22.

☿ Altitud. maxim. 20. 30.6. N N E 1^x
——— minim. 31. 28.9. S W b W 3^x. } media $29.5\frac{24}{29}$.

Dies frigid. 21. 70. E N E 1.
—— tepid. 10. 50. S W b W 3_x. } media $56\frac{23}{29}$.

Apud *Aſhburton, Chudleigh, Newton,* &c. Febres multæ putridæ, lentæ ſæpe cum, ſæpe ſine Exanthematibus, nec non Morbilli maligni.

maligni. Febres porro Dyſentericæ apud *Aſhburton*, & per Viciniam——Anginæ quædam ſævæ paſſim, quædam Peripneumoniæ atque Pleuritides; Tuſſes & Coryzæ permultos infeſtant,—Colica frequens. Evanuit jam penitus Morbus inter Equos.

Tota Pluviæ Quantitas hoc Anno
Dig.Dec.
MDCCL=3.192.

Finis Anni 1750.

JANUARIO.

Diem ad uſque viceſimum primum *Januarii* Aër fuit quam maxime humidus; ineunte Menſe multa Pluvia; nunc Libs nunc Corus ad xviii; à xxi° Ventus Aquilonius vergens ad Orientem plerumque unde rigidum ſæpe Gelu & Frigus acre, immenſæ ſubinde Pruinæ, Atmoſphæra autem ſiccior longe.

Pluvia

Pluvia 1. 2. 4. 5. 6. 7. 8. 11. 12. 14. 17. 18. 19. 20. 25. 26. 30. Grando 7. 13. 15. Nix 15. 16. 27. 28. 29=3.433. Dig.Dec.

Procella 3. Mane S W 4_x—16 Noctu S W 4^x—17 Mane S b W 4^x Arcius vehemens 25 Nocte: asperrimum Gelu 28.

☿ Altitud. maxim. 23. 30.2. E N E 3x. } media 29.5.
——— ———minim. 1. 28.8. S S E 4x.

Dies frigid. 28. 72. N b W 2. } media $60\frac{20}{29}$.
———tepid. 1. 58.

Pleuritides & Rheumatismi multi, Tusses & Dentium Dolores plurimi, Colica passim: Febres lentæ putridæ grassantur adhuc prope *Ashburton*, *Newton*, &c. Pleuroperipneumoniæ, ac Peripneumoniæ frequentes.

Februario.

Insequitur *Februarius* frigidus, præsertim per Mensis Initia, Borea perflante^x ab octavo; tamen ad Finem usque aut Libs aut Corus gelidus; pluviosa utique &

procellosa Tempestas plerumque ab undecimo, Atmosphæra porro crassa valde. [x] Acre admodum Gelu à Die secundo ad octavum.

Pluvia $\overset{\prime\prime}{11}$. $\overset{\prime}{12}$. 13. 14. 17. 19. $\overset{\prime\prime}{20}$. 21. $\overset{\prime}{23}$. $\overset{\prime\prime\prime}{24}$. $\overset{\prime}{26}$. $\overset{\prime}{27}$. 28. Nix 4. Grando 13. 14. 20. 21. 26 = Dig. Dec. 2.516.

Procella 21. Nocte N N W 4—24 ab H. 10 a. m. ad 4 p. m. S W 4—25 Nocte W S W 4_x—26 Mane W b S 4—27 S W b W 4. Fulgur & Tonitru 24 Nocte—26 Nocte.

Arcus lucidus permagnus per Zodiacum 8 Hora 7½ p. m.

☿ Altitud. maxim.	7.	30.1.	E N E 1.	media 29.6 $\frac{10}{28}$.
——— minim.	26.	29.0.	W b S 4.	
Dies frigid.	3.	72.	E N E 3.	media 60.
——tepid.	23.	52.	W S W 1_x.	

Pleuritides ac Peripneumoniæ valde sunt frequentes—Rheumatismi multi, Anginæ aliquæ, Tusses perplurimæ vehementes, nec non Coryzæ cum Sternutamentis fere perpetuis,

petuis, acribus, & molestissimis—Colica biliosa passim—Sanguis jam extractus est plerumque densus admodum, & viscidus.

MARTIO.

Pluvius fuit admodum, & procellosus hic Mensis—Libs perflavit sæpissime, interdum etiam Argestes, Atmosphæra crassa valde, & subinde gelida; Gelu tamen vix aliquid—Statio Mercurii plerumque humilis.

Pluvia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 12. 14. 15. 17. 18. 21. 25. 26. 27. 28—30.
Dig. Dec.
Grando 1. 5. 15. 17. 19. 30=5.590.

Procella 4 p. m. S W b W 4_x—5 Mane W b N 4—6 p. m. S W b S 4—13 Nocte S W 4—14 Nocte—15 Nocte W N W 4—17 tota Nocte S S W 4^x—18 Mane W 4—25 Nocte W 4_x—26 Mane N W b W 4—29 p. m. W 4_x.

Fulgura

Fulgura Nocte 4. Fulgur & Tonitru vehemens 5. a. m. Fulgur & Tonitru 6 p. m.—15 Vesperi.

☿ Altitud. maxim. 23. 30.2. E N E 1x. —— minim. 4. 29.0.	} media 29.4 $\frac{14}{31}$.
Dies frigid. 19. 60. N W 1. —— tepid.. 28. 48. W S W2.	} media 52. $\frac{24}{31}$.

Tusses, Coryzæ, Raucedines perplurimæ cum magno Faucium Tumore, atque acerbo Dentium Dolore——Rheumatismi multi gravissimi: Pleuritides nec non Peripneumoniæ valde frequentes.

Aprili.

Decidit quoque Pluvia haud exigua hoc Mense; pulchra tamen aliquando lutervenit Apricitas, spirante tunc Vento ab Oriente—Cæterum Septentrio magis quam Auster prævaluit: Aër fuit sæpe tenuis, interdum frigidus, præcipue *Aprilis* Initio.

Pluvia 1. 2. 5. 6. 10. 11. 12. 14. 15. 20. 21. 22. 23. 24. 28. 29. Grando 1. 5. Nix multa 4=3.376.

Dig.Dec.

Fulgur & Tonitru 1. p. m. Procella 27. E b N 1.

Amplissimus Halo circa Lunam 23 H. 9. p. m.

☿ Altitud. maxim.	8.	29.8.	E N E 1.		media 29.5.
——— minim.	23.	29.2.	S S W 1.		
Dies frigid.	5.	62.	N N E 2_x	acre Gelu.	media $48\frac{24}{27}$.
——tepid.	29.	40.	E 1.		

Pleuritides ac Peripneumoniæ & veræ, & spuriæ valde sunt frequentes undique, haud largam tamen Sanguinis Missionem facile ferunt; etsi Cruor est sæpe viscidus valde: Rheumatismi plurimos torquent. Tusses, Coryzæ, Parotidum & Maxillarum Tumores, Dentiumque Dolores ubique sæviunt maxime. Febres intermittentes aliquæ, Colica biliosa passim & multæ Ophthalmiæ. Juniores perplurimi Pustulis aquosis scabiosis per totum Corpus infestantur.

Maio.

Prior *Maii* Pars fuit pluvia atque perfrigida, posterior sicca, jucunda, calida; ineunte Mense Ventus inconstans; à decimo

cimo nono ad ipſum Finem ab Oriente aut Sepentrione quod Atmoſphæram ſiccavit plurimum.

Pluvia $\overset{\prime}{\overline{1}}$. $\overset{\prime\prime}{\overline{2}}$. 4. $\overset{\prime}{\overline{5}}$. $\overset{\prime\prime}{\overline{7}}$. 8. $\overset{\prime}{\overline{10}}$. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{11}}$. $\overset{\prime}{\overline{12}}$. 13. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{15}}$. 16. 27. Dig. Dec. Grando 5. 6=2.570.

Procella 2. p. m. S W 4_x—5 N W b W 4—12 E S E 4_x. Gelu & maximæ Pruinæ 5. 7.

☿ Altitud. maxim. 20. 30.1. E N E 1. } media $29.6\frac{20}{28}$.
——— minim. 3. 29.1. W b N 2^x. }
Dies frigid. 7. 56. S E 3. } media $40\frac{2}{28}$.
—— calid. 25. 26. N E b E 2_x. }

Pleuritides & Peripneumoniæ paſſim, Colicæ & Rheumatiſmi multi, ac tabidi plures: Tuſſis & Aſthma frequens; Coryzæ permultæ cum Faucium Tumore; præſertim Menſis Initio. Variolæ jam aliquæ huc advectæ à Militibus de Regiment de *Conway*.

Junio.

Ineunte *Junio* valde calida Tempeſtas, Euro perflante: a 12 ad 20 venit ab Occidente

dente Ventus, tunc recurrit Eurus multa cum Pluvia—Sub Finem Auſter, Aër inde longe humidior.

Pluvia 6. 7. $\overline{8}''$. $\overline{15}''$. $\overline{16}'$. 18. $\overline{19}'$. $\overline{22}'''$. $\overline{23}'$. $\overline{25}''$. 26. $\overline{27}'''$. 28. $\overline{29}''$. 30=3.114. Dig.Dec.

Procella 6 p. m. E S E 4—7 Mane E S E 4_x—22 p. m. & ad mediam Noctem E 4.

Fulgura plurima ſæpe cum Tonitru 5 Nocte—6 Fulgura perpetua Nocte & Tonitru frequens—7 Fulgura perpetua luciſſima, at pallidiſſima p. m. & tota Nocte mugiente ſubinde Tonitru—Fulgura multa 9 Nocte, Tonitru è longinquo.

Pulcherrimus Cœli Color puniceus 19 Veſperi W S W 1^x.

☿ Altitud. maxim.	3. 30.0. Malaci	media 29.5$\frac{12}{16}$.
——— minim.	29. 29.1. S 3.	
Dies frigid.	23. 43. E 3.	media 29.$\frac{2}{16}$.
——fervid.	6. 17. E S E 4x.	

Variolæ frequentes in Oppido, Febres puſtuloſæ paſſim—Peripneumoniæ nothæ aliquæ, Tuſſes & Faucium Tumores plurimi: Phthiſi pulmonari multi laborant,

JULIO.

Julio.

Sequitur jam *Julius* pluviosus, & majore ex Parte algidus; prævaluit hoc Mense Libs, haud raro tamen intervenit Corus, interdum Favonius; Atmosphæra plerumque crassa & humida.

Pluvia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10—12. 15. 16. 17. 18. 20. 21. 23. 24. 25. 26. 29.—31 Dig.Dec. =4.996.

Densissima, fœtida Nebula toto Die 21. Maxima Diluvia sub Finem Mensis undique—Fontes omnes, & Rivuli exundant maxime.—Fructus omnes horæi fatui sunt prorsus, & crudissimi—rarissime Papilionem imo vix Muscam vides——Multi Canes rabidi discurrunt. Cicadæ silent omnino.

☿ Altitudo maxim. 9. 29,8. N N W 1.
——— minim. 26. 29.0. S S E 3. } media 29.4$\frac{2}{3}$.
Dies frigid. 1. 39. W N W 2x.
——— calid. 9. 25. } media 31$\frac{10}{30}$.

Variolæ

Variolæ paſſim hic & jam per Viciniam: Febres miliares, putridæ, lentæ aliquæ hic, longe plures per Oras Orientales & Auſtrales *Devoniæ* imo & haud raro lethales. Pleuripneumoniæ nonnullæ——Morbi colici frequentes & acerbi. Ora apthoſa jam fere epidemica: Quandoquidem tam infauſta Pluvia frigidaque fuit Tempeſtas perpauca Funera videmus—Omnes tamen maximo Virium Languore laborant.—Credo equidem quod præſens Cœli Salubritas haud parum nimboſis crebriſque Ventis debetur; qui Atmoſphæram tam frequenter purgârunt.

AUGUSTO.

Submiſſum fuit Baroſcopium *Auguſti* Initio; Libs plerumque, Aër craſſus: à 12 ad 15 Corus. Maximæ Rorationes 7—inde Libs rurſus ad 21; poſt Aquilo, dein Eurus, ad Finem Corus: Nebulæ ſæpe hoc Menſe—Sub Finem flante Euro Aër valde tenuis—Ros plurimus.

Pluvia

Pluvia $\overline{1}$. $\overline{3}$. 4. 5. $\overline{7}$. 9. $\overline{10}$. $\overline{16}$. 18. Dig. Dec. $\overline{19}$. 20. 21. 28. 30=1.434.

Magna *AB*. 8. W N W 1[x], Pruina 29.

☿ Altitud. maxim. 29. 30.1. N N W 1[x]. } media 29.5½.
——— minim. 3. 29.1. S S W 3.

Dies frigid. 29. 44. ——— } media $32\frac{2}{30}$.
——— calid. 24. 26. Malacia.

Variolæ modo ſunt frequentes, Morbi colici plurimi multo cum Angore Ventriculi, ac Vomitione.—Haud pauci Apoplexiâ perculſi ſunt. Morbi Hypochondriaci & Hyſterici undique.—Canes rabidi paſſim. Aviculæ perplurimæ pereunt inter Plumas exeundas. Vix vides Papilionem—raro audis Cicadam, adeo triſtis fuit Tempeſtas Menſis Initio.

SEPTEMBRI.

Parum fuit conſtans hoc Menſe, ventus, ab occidente tamen plerumque Barometer; nec multum elatus nec valde depreſſus—Medio *Septembri* Apricitas, Pluvia

via parca. Sub Finem perplurimæ denſæ Nebulæ—Maxima Pruina atque Glacies 22. 26. 27. 30.

Totum Cœlum etſi nubilum luminoſum Noctu 7 & 8; unde neſcio.

Pluvia $\overset{\prime\prime}{1}$. $\overset{\prime}{5}$. $\overset{\prime\prime}{6}$. $\overset{\prime}{7}$. $\overset{\prime\prime}{8}$. 9. 11. 12. 15 $\overset{\prime}{20}$.
Dig.Dec.
21. $\overset{\prime}{24}$. $\overset{\prime}{27}$. $\overset{\prime\prime}{28}$. 29=2.306.

Max. Barom. Altit. 13. 30.0. WNW 1x. } media 29.6$\frac{3}{28}$.
Minim.——————7. 29.1. S 2.
Dies frigid. 27. 54. N E 1. } media 41$\frac{4}{28}$.
—— calid. 5. 35. E S E 2.

Variolæ paſſim, jamque Indolis pejoris: Infantes & juniores innumeri Puſtulis, Tinea, & Achoribus vexantur. Icterus valde frequens. Febres aliquæ putridæ, Puſtulis urentibus aquoſis comitatæ—Hæmiplegiæ aliquæ, & Paralyſes. Morbi Hypochondriaci plures. Morbus Colicus cum magno, & pertinaci Stomachi Angore plures torquet; horum Alvus eſt plerumque valde aſtricta; billioſa multa, ac porracea vomunt.

OCTO-

OCTOBRI.

Venit ab Oriente Ventus toto hoc Menſe, nunc ad Septentrionem nunc ad Auſtrum declinans, iſque ſæpe velox valde —Aër fuit plerumque ſiccus haud raro gelidus admodum, ad Finem acre Gelu.

Pluvia 3. $\overset{''''}{4}$. $\overset{''}{5}$. 6. $\overset{''}{7}$. $\overset{''}{8}$. 9. 12. 23. 24. $\overset{''}{26}$. $\overset{'''}{27}$. 30. = 3.060. Dig. Dec.

Procella 8 Noctu E 4_x—13 toto Die E b S 4_x—14 p. m. E b S 4_x levis *AB.* 12 H. 8. E N E 2.

☿ Altitud. maxim. 18. 30.0. E 3^x. } media 29.7.
——— minim. 26. 29.0. E S E 2^x. }
Dies frigid. 30. 64. N 1^x. } media $49\frac{13}{30}$.
—— tepid. 2. 40. E S E 1^x. }

Variolæ paſſim; Pleuritides & Peripneumoniæ aliquæ, Tuſſes Aſthmaticæ laborioſæ frequentes——Rheumatiſmi multi Colica biliosa, haud raro, nec Icterus.

Morbus phreneticus inter Equos—Horrent primo, & tremunt plurimum; mox

triſtes fiunt ac ſomnolenti: Dein phrenetici imo furioſi quaſi pauloque poſt occidunt.

Novembri.

Ad Diem *Novembris* undecimum permanſit Ventus Orientalis, ad Finem etiam recurrit; intermedio autem Tempore Libs, aut Corus—Atmoſphæra porro ſæpe humidus valde, ſubſidente tandem plurimum Baroſcopio.

Pluvia 1. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. Nix 1. Grando 20.
Dig. Dec.
25=3.510.

AB. levis 7. H. 9. E b N 1—Magna 30 Veſperi E N E 2.

Gelu acre Menſis Initio, & ad Finem.

Procella 16. p. m. S W b S 4_x—20 p. m. S S W 4—21 Mane S W b W 4_x—22 p. m. S W b W 4_x—Fluctus immenſi, & Maris Æſtus maxime inundans 21—Fulgur & To-

& Tonitru ſæviſſima 21 ab H. 3. p. m. ad 6[m] Barometro tunc ſubſidente ad 28. 7.—Permagnus Æſtus 24 Veſperi.

☿ Altitud. maxim. 5. 30.4. N E 1.	}	media 29.7 $\frac{1}{2}\frac{8}{6}$.
——— ——— minim. 20. 21. 28.7. SW b W 4	}	
Dies frigid. 29. 67. E N E 2[x].	}	media 57.
——— tepid. 15. 49. W S W 2.	}	

Variolæ multæ, quædam mali admodum Moris, ſæpe crudo tantum Ichore ſcatent, ſæpe nigræ, ſeſſiles, ac Petechiis lividis interſtinctæ—Tuſſes Deſtillationes Faucium Tumores, Dentiumque Dolores permultos laceſſunt. Rheumatiſmi, Pleuritides, & Peripneumoniæ aliquæ. Tormina Ventris haud paucos cruciant, quoſdam Dyſenteria, Aſthma gravis plures.—Anginoſa quædam Febris cum Eryſipelate & Puſtulis plurimis paſſim ſub Finem Menſis graſſatur.

DECEMBRI.

Per Decembris Initia Aër perfrigidus, Ventus Aquilonius, rigidum Gelu, alta Barometri Statio—à 15 ad 21 Vulturnus

cadente Mercurio—Ad Finem Boreas Nix & acre Gelu.

Pluvia 1. 3. 5. 12. $\overset{''}{\overline{15}}$. 16. 17. 18. $\overset{'}{\overline{19}}$. $\overset{'''}{\overline{20}}$. 21. $\overset{'''}{\overline{23}}$. $\overset{'}{\overline{25}}$. 28. Nix 1. 13. 29. 30. 31= Dig. Dec. 2.406.

Immensi Fluctus *(Boars)* à 18 ad 21. Amplissimus Halo circa Lunam H. 9. p. m. 20 S E 2^x.

☿ Altitud. maxim. 5. 30.2. N 1.
——— minim. 21. 29.1. S b W 3^x. } media $29.7\frac{16}{36}$.
Dies frigid. 7. 72. N N E 1.
—— tepid. 21. 52. } media $62\frac{1}{2}$.

Variolæ hic jam epidemicæ, imo & inter juniores frequenter exitiales: Quippe sæpe crudæ, interdum petechiales: Plurimi Rheumatismi acerbi atque difficiles —aliqui inflammatorii ac difficiles quidem Scorbutici & pertinaces admodum.—Tussis & Asthma valde frequens, quosdam cruciat vehementer: Permultæ Destillationes cum Faucium & Tonsillarum Tumore molestissimæ. Tormina biliosa pestifera perplu-

perplurima. Anginæ inflammatoriæ plures premunt, malignæ diræ quoſdam cum Puſtulis puniceis minimis, ſed innumeris.

Tota Pluviæ Quantitas Anno MDCCLI
Dig.Dec.
fuit=38.311.

Finis Anni 1751.

JANUARIO.

Incipiente Anno læta Rerum Facies, Apricitas perpulchra, rigidum Gelu, immenſæ Pruinæ, Boreas ſiccus, incepit autem liqueſcere Gelu 7°.—Mox irruit Auſter, decidunt Pluviæ; recurrit Boreas 16° Nubeſque diſcutit; à 18 pluvius Vulturnus, 23 & 24 Boreas iterum, dein rurſum Vulturnus, ad Finem Corus.

Pluvia 8. $\overset{\prime\prime}{9}$. $\overset{\prime\prime\prime}{10}$. $\overset{\prime\prime\prime}{11}$. $\overset{\prime\prime}{12}$. $\overset{\prime\prime}{13}$. 14. 15. $\overset{\prime\prime\prime}{18}$.
Dig.Dec.
$\overset{\prime}{19}$. $\overset{\prime}{20}$. 21. $\overset{\prime\prime}{22}$. $\overset{\prime}{25}$. $\overset{\prime}{27}$. $\overset{\prime\prime}{28}$. 29. 31=4.042.

Procella

Procella 13 a. m. S 4_x—14 Mane 28. 7 S W b S 4—19 a. m. S b W 4—22 a. m. S S E 4. Maximi Maris Æſtus ac inundantes à 19 ad 23.

☿ Altitud. maxim.	4.	30.4.	E N E 2.	} media $29.5\frac{2}{29}$.
——— minim.	14.	28.7.	S W b S 4.	
Dies frigid.	4.	70.		} media $60\frac{12}{29}$.
—— tepid.	13.	53.	S 4x.	

Variolæ uſque epidemicæ, ſæpe crudæ, & prave maturantes, nonnunquam Petechiis maculatæ. Anginæ mucoſæ, atque Faucium Tumores valde frequentes. Angina ulceroſa imo, & gangrænoſa quoſdam corripit——Peripneumoniæ ac Pleuroperipneumoniæ paſſim—Tuſſes inter omnes, ſæpe vehementes ſæpe tabificæ. Plurimi Rheumatiſmi valde acerbi.

FEBRUARIO.

Per Initia *Februarii* Ventus Aquilonius, Aër perfrigidus, Sol ſæpe—Ab 8° Ventus inconſtans valde, medio Menſe Pluvia multa, & Initio & Fine præalta Baroſcopii Statio, Atmoſphæra ſicca, maximæ Pruinæ.

Pluvia

Pluvia 4. $\overset{\prime}{\overline{8}}$. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{9}}$. $\overset{\prime}{\overline{10}}$. $\overset{\prime}{\overline{11}}$. $\overset{\prime\prime}{\overline{13}}$. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{15}}$. $\overset{\prime\prime}{\overline{16}}$. 17. $\overset{\prime}{\overline{18}}$. 19. 21. $\overset{\prime}{\overline{24}}$. 26. Nix 8. Grando 27=2.910. Dig.Dec.

☿ Altitud. maxim. 28. 30.6. N 1.
——— minim. 11. 29.2. W S W 2. } media 29.8 $\frac{22}{28}$.

Dies frigid. 7. 71. E N E 2^x.
——tepid. 26. 52. S 3^x. } media $53\frac{21}{28}$.

Variolæ epidemicæ in hoc Oppido; raræ autem per Viciniam—Pleuritides & Peripneumoniæ plures, Rheumatiſmus torquet plurimos: Angina mucoſa multos, multos etiam inflammatoria cruciat, quædam porro Anginæ malignæ graſſantur. Morbus Colicus paſſim, & Icterus. Tuſſes & Faucium Tumores, Dentiumque Dolores valde frequentes.

MARTIO.

Ineunte & exeunte *Martio* Pluviæ parum; Aër ſiccus Gelu interdum & magnæ Pruinæ Ventus ab Oriente; medio Menſe Corus plerumque Pluvia frequens.

Pluvia

Pluvia 2′. 4. 9′. 12. 13″. 14. 15. 17′. 18. 19. 22. 23. 24. Grando 13. 14. 15. 18. 27. Dig.Dec.
Nix 20. 25=1.510.

Procella 13. a. m. S W b S 4—16 a. m. N W 4—24 N W 4_x—30 E S E 4_x. Tonitru Mane 24. 15° vehemens Tempestas apud *Londin*, &c. usque ad *Dover* hic N W 3^x.

☿ Altitudo maxim. 7. 30.4. E 2.	} media 29.8 $\frac{3}{26}$.	
——— minim. 13. 29.2.		
Dies frigid. 8. 64. E N E 1.	} media 56.	
——tepid. 11. 48. W N W 1^x.		

Variolæ frequentes, aliqui multo pauciores: Anginæ, Pleuritides & Peripneumoniæ permultæ; Rheumatismus crucians passim. Tusses vehementes undique. Asthma gravissimum plurimos opprimit. Morbi Colici & aliqui Ictrici.

APRILI.

Lætissima sæpe Tempestas hoc Mense, & per Initia & per Medium Aprilis, flan-

te utplurimum Borea ſicco; ab 11 autem ad 14 multa decidit Pluvia, poſt 20 Corus prævaluit.

Pluvia 11. 12. 13. 14. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 27. 28. 30=2.724. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 16. 30.2. E N E 1x.
——— minim. 25. 29.2. W N W 3x. } media 29.7$\frac{9}{30}$.
Dies frigid. 1. 62. S N E 2.
—— tepid. 10. 38. S W b W 1. } media 47$\frac{4}{38}$.

Crebræ adhuc Variolæ hic & paſſim; imo & interdum lethales——Icterus frequens, Hydrope plures laborant—Rheumatiſmi, Pleuritides, & Peripneumoniæ plurimæ——Permulti atque etiam adulti Vermibus ſcatent—Tuſſes & Faucium Tumores undique.

Maio.

Varius fuit hoc Menſe Ventus, ſæpe Africus, ſæpe Corus, Eurus ſubinde—Prior *Maii* Pars tempeſtiva ſatis, poſterior pluvioſa valde—Sicca Medio, atque tenuis Atmoſphæra, Flatus ab Oriente.

Pluvia 1. 5′. 6″. 7″. 8. 20‴. 21. 22. 24. 25. 26″. 27. 28. 29″. 30″. 31″=3.328. Dig. Dec.

Procella 1 S W b W 4_x—31 p. m. S S W 4 Nebula fœtida 19 S S W 2 multa Fulgura Nocte 25 S S E 2.

☿ Altitud. maxim. 12. 29.9. E 2. } media $29.5\frac{13}{30}$.
——— minim. 21. 29.1. S S W 3.
Dies frigid. 3. 49. E 2. } media $37\frac{3}{30}$.
——calid. 19. 28. S S W 2.

Plurimæ etiamnum Variolæ--Multi Rheumatiſmo laborant—Haud pauci Pleuritide ac Peripneumoniâ, Tuſſes frequentes, & graves Aſthmatis Paroxyſmi—Plures Phthiſi Pulmonum contabeſcunt.

JUNIO.

Ad Diem *Junii* decimum quintum Pluviæ parum—Sol ſæpe calidus, Ventus inconſtans, Auſter utplurimum—Ab iſto autem Tempore multa Pluvia, Atmoſphæra craſſa valde, & humida, atque etiam plerumque frigida: Baroſcopii Statio humilis.

Pluvia

Pluvia $\overset{\prime}{\overline{1}}$. 2. $\overset{\prime}{\overline{3}}$. 9. $\overset{\prime}{\overline{10}}$. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{\overline{16}}$. 17. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{18}}$. 19. $\overset{\prime}{\overline{20}}$. 21. 22. 23. 24. $\overset{\prime}{\overline{26}}$. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{29}}$. 30 = Dig. Dec. 3.286.

Procella 4 primo Mane W S W 4_x—17 Vesperi & Nocte S S W 4_x—18 Mane & ad Meridiem fere S S W 4. Maxima Diluvia medio Mense.

☿ Altitud. maxim.	9.	29.9.	N N W 1^x.	} media $29.4\frac{10}{24}$.
——— minim.	18.	29.0.	S S W 4.	
Dies frigid.	20.	40.	N N W 1.	} media $33\frac{18}{24}$.
——calid.	15.	26.	S b W 2_x.	

Variolæ epidemicæ frequenter, nigræ, parvæ, malignæ cum Petechiis: Sæpe crudæ admodum, & aquosæ prorsus—Minime maturantes—Haud pauci Ictero laborant & Hydrope; multi Colicis Doloribus: Passim Asthma sævissimum—Rheumatismus atque Arthritis multo crebrior solito hâc Anni Tempestate. Febris anginosa pestiferi Moris sævit plurimum, præcipue sub Mensis Finem hoc in Oppido, nec non apud *the Dock* & in citeriore *Cornubiâ*—Fauces plerumque fœdis & fœtidis Ulceribus eroduntur, tota Cuticula ferè Exanthe-

anthematibus prærubris turpatur tandemque tota desquamatur; Febris adest haud levis Initio & majore ex Parte Delirium, præcipue adventante Nocte cum exacerbatur semper.——Pertristis sane ac pluviosa Tempestas magnam infert omnibus & Animi & Corporis Dejectionem.

JULIO.

Frigidus quoque & pluvius fuit hic Mensis; Aërque sæpe crassissimus, sub *Julii* Finem Pluvia gravissima inundans omnia. Auster prævaluit à 18 tamen ad 24 Aquilo perpetuus.

Pluvia 1. 3. 4. $\overset{\prime\prime}{\overline{5}}$. $\overset{\prime}{\overline{6}}$. 9. 10. 14. 15 $\overset{\prime}{\overline{16}}$. $\overset{\prime}{17}$. 23. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{\overline{24}}$. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{25}}$. $\overset{\prime\prime}{\overline{26}}$. $\overset{\prime}{\overline{27}}$. 29. 30=2.864. Dig.Dec.

Fulgur & Tonitru sævum 25 Nocte.

☿ Altitud. maxim.	19.	29.9.	N N E 1.	} media 29.5$\frac{10}{25}$.
——— minim.	24.	29.0.	S 3^{x}.	

Dies frigid.	25.	40.	S W b W 2.	} media 32$\frac{20}{25}$.
—— calid.	2.	25.	N N W 1^{x}.	

Variolæ

Variolæ ubique maxime epidemicæ, eæque plerumque crudæ admodum, aut parvæ, nigræ, & sessiles sunt, sane haud parum funestæ, acri fere diffluunt Humore, & minime cocto, Sputa tamen sunt largissima, atque sæva sæpe oriuntur Faucium Ulcera.

Febris anginosa qualem descripsi † 1734 passim vagatur, nec non Angina maligna, sub utriusque Finem maximus est Pruritus per totum Corpus; imo sæpe intolerabilis tandemque omnis desquamatur Cuticula; imo & in junioribus ipsæ interdum decidunt Ungues.

Febres Catarrhales ac Rheumatismi frequentes: Tusses vehementes perplurimos vexant, permultos Asthma aut Arthritis, haud paucos Tumores Colli, Faucium, Maxillarum etiam, ubi Angina prorsus deest.

In omni Febre quam maxima est ad Exanthemata ac Sudores Dispositio, raroque Fauces non aliquo Modo gravantur —Perraro jam extrahitur glutinosus Sanguis

† Vide Vol. 1. Men. April.

guis—Urina est plerumque cruda, quasi inesset tantillulum Lactis, aut subviridis præcipue Febrium Initio, sed quod miror, sæpe Dysuriam parit.

AUGUSTO.

Durat usque pluvia Tempestas, licet enim per Mensis Initia & calida fuit valde‡ & aprica satis—Post decimum tamen continuæ ferme decidere Pluviæ, Austro plerumque aut Cauro flante; unde frigidus, & valde humidus Aër.

Pluvia 1. 11. 12. 13. 14. 16. 17. 18. 19. 21. 25. 26. 27. 28. 30. 31=3.332. Dig.Dec.

Nebula densissima 10 N W 1ₓ—29. 30. 31. Fulgura perplurima 11 Nocte—25 primo Mane nec non 25.—Quam latissi-

‡ Innumeræ lucidissimæ prærubræ Nubeculæ 30 Horâ 10ª p. m. ab Hora autem undecimâ Nocte ad 2ᵐ matutinam 31ⁱ. AB. valde luminosa N W 1ˣ.

2 mus

mus Halo circa Lunam 12 ab H. 9. ad 11 Noctis Grando vehemens admodum. Grando ſæviſſima 12 Horá 11ª & 12ª a. m. W N W 1ˣ.

Altitud. maxim. 18. 29.9. Malacia.	} media 29.5.	
——— minim. 25. 29.0. S S E 3ˣ.		
Dies frigid. 26. 44. N W b W 3ˣ.	} media 30 22/29.	
—— fervid. 9. 17. E N E 1.		

Maxime adhuc graſſantur Variolæ, crudæ ſunt plerumque, & ichoroſæ; haud raro autem atræ, ſeſſiles, parvæ, peſtiferæ, accedente ſæpe per Febris Initia prælarga navium Hæmorrhagia, præcipue vero Menſis Initio, raræ autem fuere Petechiæ.

Febris anginoſa, puſtuloſa, eryſipelatoſa ſævit plurimum—Multum porro Angina maligna—Choleræ plurimæ paſſim—Torquet etiam perplurimos Arthritis & Rheumatiſmus—Tuſſes & Faucium Tumores innumeri—Febres aliquæ putridæ, lentæ, remittentes ſine Puſtulis aut Apthis. Contriſtantur maxime omnium pene Animantium Genera, infauſtiſſima Meſſis—

Fructus

Fructus fatui & crudi prorſus, corruptum Squalore humido eſt Frumentum.

SEPTEMBRI.

Nulla Pluvia per ſex ultimos *Septembris* Dies; ſed Apricitas pulchra, Euro flante; Libs frequens ante, & Pluvia, Atmoſphæra valde humida.

Pluvia $\overset{\prime}{1}$. $\overset{\prime\prime}{2}$. $\overset{\prime}{14}$. 16. 20. $\overset{\prime\prime}{21}$. 23. 24 = Dig.Dec. 1,142.

Ampliſſimus Halo circa Lunam 20 H. 10 p. m. N W 2—Parvus at valde igneus 22 H. 9. p. m. WNW 1. Nox procelloſa 21 S S W 4_x.

☿ Altitud. maxim. 27. 30.0. E 2_x. } media $29.6\frac{14}{19}$.
——— ——— minim. 1. 29.2. S W. 3.
Dies frigid. 14. 40. S S W 2. } media $33.\frac{1}{19}$.
——— calid. 29. 28. E S E 1.

Variolæ uſque epidemicæ, quædam ſatis benignæ, quædam crudiſſimæ, aquoſæ nec maturantes unquam ſed in Veſicis prælargis faceſſentes Cutem erodunt; aliquæ magnâ

magnâ Narium Hæmorrhagiâ ſtipatæ; paucæ autem Petechiis, unde ſane neſcio.

Diarrhœa atque Tormina perplurimos exercent, nec non Tuſſes acerbæ ac Coryzæ: Rheumatiſmi multi.

Febris anginoſa puſtuloſa graſſatur adhuc plurimum: Eſt etiam Angina maligna ulceroſa perfrequens, putridâ cum Febre, fœdiſſimo Spiritus Odore, Vomitu, Alvi Fluxu, imo & interdum Faucium ipſâ Gangrænâ——in Morbo utroque facilis Puſtularum, Sudorum, aut Exanthematum, Eruptio, magnâ conſequente Cuticulæ Deſquammatione, funeſta ſane ſunt Signa, nefaſta perarida Cutis aut lividæ Puſtulæ. Tempeſtas eſt infauſta admodum Tabidis.

OCTOBRI.

Ineunte & etiam exeunte *Octobri*, Cœlum ſerenum & Aer tenuis fuit. Ventus Borealis vel Orientalis plerumque prævalebat—Maximæ ſæpè Pruinæ—Paulum Pluviæ toto Menſi; quamvis Octavo Die,

& decimo etiam furit Procella Pluviæ, & Grandinis, Vento à Noto, & Occidente flante—Permagnæ Rorationes, 18°, 19°, xxiv°, xxv°, xxvii°, et trigesimo, manè.—

					Dig.Dec.
Pluvia	6.	7.	8.	9.‴	14=1.264.

Maxima Pruina Die 2do.—

Levis *AB*. 2° & 14°—W N W$_x$—

Magnus Halo circa Lunam 19°.

☿ Altitud. maxim.	31.	30.4.	N E 1.	media $29.9\frac{12}{30}$.
——— minim.	11.	29.4.	S S W 1^x.	
Dies frigid.	22.	54.	E N E 1.	media $41\frac{22}{31}$.
——— tepid.	18.	42.	W b S 1.	

Variolæ adhuc epidemicæ undique ferè. Quædam mites: Quædam crudæ, malignæ——Quædam aliæ pestiferæ cum Petechiis, & Hæmorrhagiis. Plures Anginæ malignæ etiam, & inter Adultos—Aliquæ longè plurimæ Febriculæ anginosæ, pustulosæ. Innumeri correpti levi Anginâ, Coryzâ, Fauciumque Tumore. Medio Mense ob Pruinas, et Nebulas gelidas Rheumatismi multi, & Tusses populares.

NOVEM-

NOVEMBRI.

Nubilus erat hic Menſis, et Aër craſſus: Ventus mutabilis—Initio Septentrio, aut Aquilo ſpiravit. Sæpe Libs, atque Auſter—Dies octavus, & decimus maxime proceiloſi—Viceſimo 2° Gelu acre manè; Pluvia tamen perpetua ab Horâ 5ª p. m. Sol ſubinde a. m. Levis *AB.* ultimo Die—Sub Finem Menſis Boreas, & Septentrio prævalebant.

Pluvia 7°, 8°, 9°, cum Grandine Nocte 10°, 22° = 1.682. Dig.Dec.

Maxima Roratio 2°, Pruina 4°.

☿ Altitud. maxim. 26. 30.5. N N W x. ——— minim. 10. 29.2. S W 4. } media 29.9 $\frac{28}{29}$.
Diesfrigid. 21. 66.0. E N E 1x. ——— 8. 46.0. S W 4x. } media 52 $\frac{8}{29}$.

Variolæ adhuc epidemicæ, ſæpè verrucoſæ, paucæ cum Petechiis—Leves Anginæ innumeræ etiam inter Adultos, & in his quoque ſemper fere cum Puſtulis. Perplurimæ etiam, & epidemicæ adhuc Anginæ malignæ pluresque jugulant. Eryſipelatoſæ ſparſæ cum Puſtulis interdum gra-

vissimis Apthis stipatæ, & Narium Ulceribus.

Vix sane ulla Febricula occurrit, cujusvis Generis sit, nisi Pustulis aut Apthis consequentibus—Perplurimi Phthisi Pulmonari laborant. Tusses ubique fere apud omnes, plus minusve—Asthma gravissimum passim frequens.

DECEMBRI.

Varia fuit Tempestas, & Ventus mutabilis toto hoc Mense. Initio Aër tenuis, Gelu rigidum, & maximæ Pruinæ; Aquilone, vel Septentrione dominante. Circa Medium Caurus, aut Africus spiravit, haud parcâ decidente Pluviâ—Ad Finem recurrit Aquilo, vel Septentrio, comitante Gelu.

Procella xi. Horâ 3^{a} p. m. ☿ 29.1. W S W 3_{x}. Halo maxim. alb. xx.

Dig.Dec.
Pluvia 8, $\overset{'''}{\overline{10}}$. $\overset{'}{\overline{11}}$. $\overset{''}{\overline{13}}$. $\overset{'''}{\overline{15}}$. $\overset{'''}{\overline{21}}$=1.532.

Altitud.

☿ Altitud. maxim. 2. 30.7. N E 1. } media $29.8\frac{8}{31}$.
——— minim. 10. 29.1. S W 3.
Dies frigid. 30. 72.0. E N E 2. } media $58\frac{16}{31}$.
——tepid. 12. 52.0. W S W.

Variolæ adhuc epidemicæ. Quædam valde benignæ—Quædam crudæ, confluentes, ſeſſiles—Quædam parvæ, atræ cum Petechiis: Cruſtæ diu inhæreſcunt. Angina valde maligna frequens. Jam Eruptio non eſt tantum ſcarlatina, ſed interdum Eryſipelatoſa. Rheumatiſmi, & Morbi Colici paſſim. Tuſſes innumeræ—Tumores Faucium, Colli, & Capitis undique. Plures Pthiſici moriuntur.—

Finis Anni 1752.

EX-

EXCERPTA QUÆDAM HUHXAMII IN ACTIS PHILOSOPHICIS REG. SOCIETAT. LONDINENSIS OLIM EDITA,

ET NUNC INDE RE-EDITA

A

J. COR. HUXHAM, *AM. R. S. S.*

VIRO AMCISSIMO, ATQUE ERUDITO

RICHARDO BROCKLESBY, *M D.*

R. S. & C. M. LONDIN. SOCIO,

HÆC EXCERPTA

IN PIGNUS AMICITIÆ

INSCRIBI VOLUIT

E D I T O R.

K

CASUS Rariſſimus. Ex Epiſtola Doctiſſimi Viri J HUXHAM ad GUL. RUTTY, *M. D. R. S.* SECR.

NIHIL fere quam in Pelvi Renali & Urinaria Veſica Calculos invenire frequentius: At quis unquam in ipſa Urethra Calculum Ponderis Unc. quinque cum Semiſſe invenit? En ideo Caſum plane mirandum.

Viginti abhinc Annis Penis cujuſdam *Cookworthy* ob Luem Veneream, ad Modum quaſi Eunuchi Turcici, reſectus fuit: At Vulnus nec probe curavit Chirurgus, nec bene ſanavit; Cicatrice quippe obducta vix ullum Urinæ Iter, Urethra pene occluſa. Lotium exinde exiguiſſimo Rivulo ſummoque Niſu reddidit; brevique inter mingendum Cruciatus magnus acceſſit; pauloque poſt in media, at ſuprema, Parte Scroti Tumor parvus, ſenſim tamen

auctus in magnam demum excrevit Molem, lævum ad Inguen quasi vergens. Hinc Urinam ejaculandi impotens prorsus factus Stillicidio ejus continuo laboravit. Sedneque hac Via, Urethræ scilicet, omnem emulxit; senatis enim tribus quatuorve in Scroto Fistulis, Pars forte maxima Lotii ex hisce defluxit, Pure subinde comitante. At ne sic quidem Tumor, jam admodum durus, vel minime decrescebat, quinimo increvit usque.

Dira hæc inter Tormenta cum per plures jam Annos Miser hic, neglectus omnino, miserrimam pertraxit Vitam ad nostrum Noscomium tandem delatus fuit. Ibi Mense *Julio* elapso, quum summo nisu Urinam, solito quod dixit ardentiorem, expellere, Corpus incurvando maxime, contenderet, ingens hic prolapsus est Calculus, quem jam Tibi misi; qui recens excretus Uncias quinque cum Semisse Ponderis Avoird. pependit. Eum mihi propere, quasi Monstrum quoddam, mitti curabant Noscomii Rectores. Rem cer-

te

te quod debui plane mirabar Hominemque invisebam, continuo lacerum inveni Scrotum, jam minime tumidum, Manum puerilem facile admittens, & ex Urethra Calculum elapsum fuisse deprehendi*.

Atqui id forsan haud parum Miraculo adjiciat, quod magnum hoc lacerumque Vulnus Balsamo quodam Terebinthino tantum obtinendo brevi sanum evasit, ni quod parva adhuc pateat Urinæ Fistula in superiore Parte Scroti. Atque Misellus Ille, cui ante Excretionem Calculi vix ulla se movendi Potentia, commode jam satis obambulabat.

Non ego quidem hunc Calculum in Urethra primitus fuisse enatum autumo, ab ibidem Loci ex arenosa Materia concretum maxime. Cum enim parvus forte Calculus, Semen quasi hujus enormis, è Renibus delapsus erat; & ob Urethram fere occlusam, negato ultra Itinere, in Canaliculo substiterat, Sabulo perpetim appel-

* Vide Cas. persimilem in Hollerio de Morbis internis Lib. i. C. 49.

appellente auctus in immensam hanc Molem tandem excrevit.

Plymouth, Id. *Febr*. 1729-30.

CASUS alter perquam rarus ex eâdem Epistolâ.

PEPERIT nuperrime Domina quædam Puellulam rite & eleganter satis conformatam, ni quod in regione Lumborum infima eminuerit Tumor, sive Sacculus Magnitudinis quasi Pugni puerilis; cujus insuper Pedes ad Nates usque retracti Posituram Sartoris incoxantis exhibuerunt; nec eos movere ullo Modo, aut extendere, potuit. Mirum hoc & triste Parentibus visum est, mirum & Obstetrici & Matronis adstantibus: Meum ideo protinus Consilium petunt.

Tumorem hunc perlustrando cum ejusdem esse Generis cum illis, quos Tulpius, Cap. xxix, & xxx. Lib. iii. Observat. descripsit suspicabar: Istum ideo Fomento

mento aromatico & adſtringente foveri juſſi. Intra Triduum autem vero ſumme adeo diſtentus evaſit, ut jam extima Tumoris Membrana diſrupta fuiſſet; Metuſque eſſet, ne rupto confeſtim Tumore, Serum ſemel & ſimul cum ipſa Vita efflueret. Punctiunculam ergo ſuaſi, ut Lympha ſenſim emitteretur, edito nihilominus Prognoſtico, ſive aperiretur Tumor ſive non, eum fore lethalem.

Infans interea inſomnis & ejulans parum dormivit ad Pulticulam vero ſatis apta.

Quarto adeo Die Tumorem aperuit Chirurgus, facto largiore paululum quam conſuluiſſem Orificio, ita ut omnis intra Horas viginti effluxerit Humor. Hinc Languor ſummus & frequens Deliquium ad Biduum ſaltem; at Nutrice ſana & Julap. Cardiaco, Cephalic. refecta viceſſimum ad uſque Diem Vitam perduxit, quo frigidi Sudores & Tremores aborti tremulam hanc Lucem extinxere.

Inciſo Corpore obſervavimus Dorſalem Medullam ad ultimam Lumborum Vertebram, nec ultra, pertingiſſe; ſed hanc inter & Os ſacrum (ſi mavis primum Os ſacrum) exuens per Tumoris ſive Sacculi Membranas diſpertita fuit. Os ſacrum porro fuit ſolidum penitus, nec Propagines nervoſas Medullæ ſpinalis (quibus apud Anatomicos Cauda Equina Vocabulum eſt) ad Crura Pedeſque tranſmiſit; quinimo ne quidem perforatum fuit omnino.

In quibuſdam ſaltem à Tulpianis Hiſtoriis ſuper citatis differt hæc noſtra: Neque enim aliquid Matri prægnanti negatum neque vel ſe Ictu aut Fœtum Imaginatione læſerat unquam, neque Spina hujus Infantis bifida aut lacera: Quinetiam nec Os ſacrum ſolidum, nec Pedes contractos & immotos meminit Tulpius. Quandoquidem ergo ſingulare quid habeat hæc noſtra Hiſtoria, hanc ego tranſcripſi.

OBSER-

Observationes duæ rariores, ex Literis Viri Doctissimi *Johannis Huxham*, M. D. ad *Jacobum Jurin*, R. S. Secr.

OBSERVAT. I.

INGENS OMENTUM.

VETERANI cujusdam Militis Uxor Dolore colico & Vomitu diu laboraverat, quibus supervenit Ventris Tumor durus, qui auctus indies magnam in Molem excrevit. Jam evomuntur omnia, Bilis atra, sincera, tandem & ipsæ Fæces alvinæ. Dolor vero persæpe immanis in sinistro præsertim Hypochondrio, Fotus, Cathartica, Enemata, Anodyna, plurima à Pharmacopœio *Collins* adhibentur; incassum omnia; permanet Dolor, increscit usque Tumor, Digitorum Pressui haud magis cedens, quam si Lignum fuisset.

Ex hocce Tumore plura quaſi Tu-bera enata ſunt, quorum unum alterumve Caput puerilem, alia Pugnum virile, Magnitudine æquabant: Eminebat autem maximum in ſiniſtro Hypochondrio, ubi graviſſimum perſenſit Dolorem, ita ut ſæpius exclamaverat ſe voluiſſe Tumorem ibidem Loci fore perfoſſum.

Increſcente Tumore facta eſt valde dyſpnoica. Tanta tamque atrocia per Menſes fere 14 perpeſſa fuerat Mulier, cum tandem grata venit Morborum Requies, Mors.

Mihi enarravit Caſum Pharmacopola, rogavit inſuper ut Viſcera inciſo Abdomine inſpicerem, quod cum alio Medico feci perlubens.

Nudato Cadavere montoſum obſervavimus Ventrem; reliquum vero Corpus ſumma Macie confectum. Secto Abdomine in Conſpectum ſe dedit ingens quaſi Sebi Maſſa (niſi quod Colore fuit minus alba) totum Ventris cavum adimplens, ita ut

nec

nec Ventriculus, nec Jecur, nec Inteſtina apparerent ulla; adhæſerat enim Omentum hoc enorme Peritonæo pluribus in Locis, in utroque præſertim Hypochondrio, ubi & latior & firmior fuit Cohærentia. Secto autem in Modum Crucis Peritonæo, & ab Omento ſeparato, conſpeximus Ilium in Pelvim fere detruſum, Omentum etiam toti Jecinoris Cavo annexum, Ventriculum hac Mole oppreſſum, uti & Duodenum, Colon & Jejunum: Cum adipoſo Renum Involucro (ſiniſtro præcipue) connexum & quaſi confuſum fuit; adeo ut Colon, altius paulo quam in Rectum deſinit, Sebo hocce concreto fuit penitus involutum. hinc Fæcibus præcluſum Iter, hinc illæ Lachrymæ, hinc Dolores illi ſæviſſimi, quibus ante Mortem excruciata fuerat Mulier: & ut hic obiter notem, per plures Dies ante Mortem nec ſuâ Sponte nec vel Clyſmatibus acerrimis irritata Alvus Fæces dejecerat ullas.

His luſtratis ingens ſeparavimus Omentum à Jecore, Ventriculo, ſchirroſo Pan-

create, Inteſtinis, tandem & à Meſenterio, & ab interna Peritonæi Lamina Renibus inſtrata. Splen fuit hac Maſſa quodam Modo demerſus, contractior, & quaſi coriaceus. Hunc quaſi Sebi Montem exemi denique & per Famulum noſtrum Domum miſi: Erat autem Animus Omentum hoc morbidum accuratius perſpiciendi, cum jam enim adveſperaſceret defuit Opportunitas.

Pendebat Omentum hocce lb. xvi $\frac{1}{2}$ *Avoird.* nec tamen abſtulimus unam ſaltem alteramve Libram Partibus adhærentem. Pondus hercle maximum! ſi conſideremus ex obeſiore Homine Omentum vix Libras pendere tres, majus certe inveni antehac nunquam, quanquam & ſecui & diſſecta vidi plurima Hominum Cadavera. Fateor equidem longe majus à Gregorio Horſtio in ſuis Obſervat. memoratum fuiſſe, majus etiam in Ephemerid. *German.* Ann. x. veruntamen hoc quoque noſtrum Monſtris annumerari merito debet.

Hujus

Hujus & in extima Parte, nec non in interiore Subſtantia, plura obſervavi Vaſa ſanguinea, eaque certe maxima dilatata, quorum aliqua Penna anſerina majora, aliqua vero quaſi in Aneuriſmatibus terminantia. Ex horum Aneuriſmatum (ſi ita dicam) maximo Uncias circiter ſex nigricantis Sanguinis extraxi cum quibuſdam Grumis albidioribus; anne Adipis Particulæ à Venis epiploicis abſorptæ atque Morbo congelatæ?

Ex plurimis Lobis conflari mihi videbatur Maſſa hæcce ſibi invicem arctè adhærentibus; aliquos tamen ſeparavi, quorum pauci Pomo minori fuere Magnitudine æquales, Forma haud abſimiles. Media hujus pars cætera durior, Cultro haud facile cedebat.

In iſthoc Cadavere ſequentia etiam fuere obſervatu digniora. Inferior Hepatis Pars in Schirrum abierat. Ex Veſica fellea plures exemi Calculos, Carbonem foſſilem Co-

lore

lore referentes, friabiles, Aquam innatantes, quos Bilem haud improprie nominares ſplendidam; his quippe quum inerant plurimæ Particulæ micantes haud dubio ſalinæ.

Meſenterii Glandulæ fuere ſchirroſæ, imo quædam in Subſtantiam pene lapideam induratæ. Inteſtina tenuia fuere inflammata, Colon cum Cœco fere totum Gangræna correptum, etiam Proceſſus ipſe vermicularis.

Ren uterque fuit ſanus ſatis: Dexter autem emiſit Ureteres duos: Cum vero Renem diſſecuiſſem, percepi facile, quid eſſet in Cauſa, cur Ureter hic fuit duplex. Renis enim Pelvis Septo quodam fuit diviſa, Digitum tranſverſum craſſo, ejuſdem perfectè Subſtantiæ cum reliquo Renis Parenchymate.

Hic fuit Ren quaſi duplex, cui duplex Pelvis, Ureterque duplex.

Erant

Erant in imo Abdomine Seri ſubcruenti Libræ quaſi duæ.

Malum hoc immedicabile penitus viſum eſt, niſi quis Morbi Principiis obſtitiſſet.

OBSERVAT. II.

Salivæ Color inſolitus.

DOMINUS *Fox*, quadragenarius, gracilis, bilioſus, per Menſem unum alterumve elanguerat, Nauſea, Ictero, & Doloribus colicis vexatus: Tandem ex epoto largiter Vino pomaceo vehementiſſimo Colices Paroxyſmo correptus me conſulit. vomitabat omnia, Urinæ parum reddebat Coloris lixivii, quæ Sedimenti plurimum deponebat ſubviridis.

Ego ſtatim illi Potionem ex *Ipecac.* Emeticam propinari jubeo, infuſo dein *C. Bened.* affatim hauſto plurima viſcoſa, bilioſa, rejecit: Tum Enemate *Terebinth.* injecto Alvus bis terve reſpondit. Ex ſump-

ta

ta Miſtura anodyna Vomitus & Tormina comprimuntur; jam de Languore ſummo & Abdominis Diſtentione Conqueſtio; paulo etiam poſt recrudeſcit Dolor.

Bolum præſcripſi ex Jalap. ℈i, Calomelan. Gr. viii, Spec. Diambr. Gr. vi, Laud. ſolid. Gr. i, Syrup. de Sp. Cerv. q. ſ. quam primum ſumend. cum Tinct. ſacr. ℥ii. Hinc omnia pacata poſt Horas 12 ter fundit Alvus perliquida, bilioſa. Ex ſumpto dein Hauſtu anodyno Nox tranquilla. Mane de Dolore & Faucium Tumore queribundus craſſa, ſubfuſca, expuebat; mox abunde effluit Saliva Colore viridiſſima, Bili porraceæ quam ſimillima, niſi quod tenuior. Perduravit Fluxus hic Salivæ viridis Horas quaſi 40, quo Tempore ſputavit quantum vix caperent Sextarii duo: Ad Flavedinem dein vergebat Color Fluoris eo uſque dum ad inſtar Solutionis Gut. Gambæ evaſit: Quantitas autem aucta potius quam diminuta.

Perſtitit

Perſtitit & hicce Color per Horas etiam quadraginta, dein ſenſim pellucida facta eſt Saliva, atque ſubito, uti oborta eſt, evanuit penitus Salivatio.

Intra Biennii Spatium bis terve in Icterum inciderat ante hujus Morbi Acceſſionem. Decem abhinc Annis maxima Salivatio Sponte erumpens hunc ipſum Hominem in ſummum Vitæ Diſcrimen intulerat; ſalvus autem evaſit Ope doctiſſimi expertiſſimique Medici D. D. *Pyne*. Tunc vero Temporis ne vel ☿ii Hilum ſumpſerat, nec ullo Modo fuerat colorata Saliva.

In hac Hiſtoria obſervatu haud indigna quædam occurrunt. Salivatio nempe Sponte exuſcitans, vel ex tantillo forſan Calomel excitata. Calomel autem probe paratum novi, quippe qui plurimas ejuſdemet Doſes, quarum aliquas ad Scrupul. integrum, exhiberi juſſeram, ne vel minimo ſequente Salivationis Signo.

Occurrit porro, quantum ego ſaltem ſcio, Salivæ inauditus Color. Saliva viridi ita penitus tincti erant Dentes & Fauces quaſi Ærugine obducti fuiſſent: Permanſit Dentium Color viridis quatuordecim poſt Diebus quam convaluit.

Notandum præterea Fluxum hunc Salivæ fuiſſe criticum, quo judicatus eſt & Icterus & colicus Morbus; ab inceptante enim Salivatione ne vel minimus Dolor Ventris, & Color Cutis ſubviridis ſenſim evanuit, Urinam etiam reddit copioſius, ſed ſubnigram. Ille vero, qui ante hunc Fluxum valde languidus fuit & jam quaſi moribundus maximam Salivæ Evacuationem ’εὐφέρως φέρει.

Serum Ictericorum tinctum eſſe Bile omnibus notum eſt: Nec alicui forſitan videatur magis mirandum Serum flavum poſſe per Glandulas ſalivares excerni quam per ſeroſa Cutis Vaſcula, quod tamen Ictero laborantibus contigiſſe ſæpe obſervavimus, admoto

admoto prius Epiſpaſtico : De Urina biliosa nihil dicam. Unde vero Color Salivæ viridis haud ita facile dictu. Hujus opinor ego Cauſam procatarticam eſſe pomacei Vini Potationem.

Bili ſi miſcueris Acidum Color oritur viridis. Hinc torminoſæ Infantum Dejectiones virides, Lacte in Ventrem aceſcente. Hinc porracea Bilis. Ponamus jam Acidum pomaceum à Venis lacteis vel & à meſaraicis forſan, abſorptum, Seroque Sanguinis bilioſo permixtum : Quid eveniret deinde ? Credo equidem flavi Seri Coloris in viridem Permutatio. Profiteor hercle, Acida quæcumque à Vi Corporis vitali in alcalinam Naturam mutantur, etiam ipſum Vitrioli Acidum : Langueſcentibus autem Viribus, Concoctione læſa, Lympha effœta facta, facta & inerte Bile, queis adde Sanguinem tardius circulantem, acida parum ſubacta, nec in primis Viis, nec in ipſo Sanguine, acidam exuunt Naturam. Hoc teſtantur acidi debilium Sudores, acidusque in Ore Sapor à Febribus

inflammatoriis convalescentium, quibus ad restinguendam Febrem largius fuerat acidus Potus. Sæpius certe memini me Vinum pomaceum largiter potâsse brevique Urinam ipsissimum Potus Odorem spirantem reddidisse. Curabam nuperrime Mulierem summa Hæmorrhagia, durante diu, correptam, cui inter cætera plurimum fuerat exhibitum Elix. Vitriol. *Mynsich.* cessavit tandem Hæmorrhagia; debilis autem inde reddita Mulier incidit in leves Spasmos, Artuumque Dolores, Ventris Tormina Diarrhœa comitante, plures excrevit Alvus Dejectiones viridissimas, Sercoris vaccini simillimas, talesque per plures Dies, quanquam Rhabarb. fuerat ter exhibitum ad expurgandas Acidi Particulas, Intestinis adhærentes.

Hic Sal acidus Sanguini immistus, post Dies plures iterum è Sanguine per Intestina rejectus est, Vi Vitæ nullo fere Modo subactus.

Micro-

Microſcopio olim obſervavit *Leeuwenhockius*, quod Chyli Sales acidi à Bile retundantur & comminuantur, quum vero in Jecore ſubſiſtat obſtructa Bilis, integris Viribus Vaſa lactea permeat Acidum. In ægroto autem noſtro Bilem obſtructam fuiſſe, patuit inde, quod Alvus fuerat compreſſior, & Fæces ante Vomitum Medicamento commotum reddidit albidas.

Hypotheſis fortaſſe noſtra illuſtretur magis, ſi perpendamus unde oriatur Virginum καχεκτῶν Color herbeus (ut cum Plauto loquar). His enim Fructus immaturi, Acetum atque id Genus alia, ſummæ ſunt cupidiæ, vitiatis autem Concoctionis Organis, parum immutata Sanguini miſcentur, Bilemque & Sanguinem obruunt Acido. Hinc Glandulæ obſtructæ, hinc Facies ex viridi pallida, Tumor hinc hydropicus; atque quod non eſt levis Momenti Jecur ſchirroſum ex Chloroſi præmortuarum ſæpe inventum fuit viride. Jam paucis reſtat dicendum unde Colori

Salivæ

Salivæ viridi ſucceſſit Color flavus, quod inde factum arbitror, quia poſt Acidum à Sanguine partim abligatum, partim & à Motu Sanguinis, ob Cardiaca exhibita, aucto deſtructum, ſuperfuit ſolum ſuperflua Bilis Sanguine expellenda, quod & brevi ſeceſſit, reſeratis Bilis Poris, & per patulos Salivæ Ductus mirandum in modum excreta.

Partium Genitalium in Muliere Structura præternaturalis. Ex Epiſtola Viri Doctiſſimi *Johannis Huxham*, M. D. ad *Jacobum Jurin*, R. S. SECR.

Plimutho, v° Kalend. *Octob.* 1723.

A. B. de Parochia *Lantiglaſs* in Comit. *Cornubiæ*, prope *Fowye* Oppidum, Annos nata xxiii nupta fuit cuidam Nautæ robuſto, tandemque prægnans, ſibi Partium male conformatarum conſcia, Opem implora-

vit

vit chirurgicam. Sibi accersitum esse voluit Dominum *Bonnett de Fowye* Oppido, & Artis chirurgicæ, & obstetriciæ peritissimum. Ille vero perspecto denudato Corpore sequentia observavit.——

Loco Umbilici in medio Abdomine, paululum vero inferius, prominet Massa quædam spongiosa, Carnis quasi Offam præ se ferens, Abdomini transverse incumbens, Magnitudinis fere Ovi gallinacei, longa autem tres Digitos: Ex hac duo erumpunt Meatus urinarii, qui Urinam perpetim extillant, quam neque vel retinere, vel ejaculare potest; hinc Vesicam (si quæ adsit) Sphinctere caruisse concludendum. Spongiosa hæc mollisque Massa, Urinæ Acrimonia corrosa, Tactum fere refugit mollissimum, adeo ut incurvata obambulare coacta sit, ad Dolorem à Vestibus impressum evitandum, eamque tenuissimis Linteis involvere. Hanc quidem Massam Funem fuisse umbilicalem male à Partu abscissum, male dein curatum, existimo; ne vel minima enim Umbilici, nisi hic, appa-

apparent Veſtigia; quid quod & Urina per Urachum pervium, & in duos forſan Tubulos diviſum, vel ſaltem per Canales duos proprios, effluit. Priori potius credo Opinioni; quia dantur Hiſtoriæ Urinam per Umbilicum in Adultis etiam excretam fuiſſe atteſtantes. Vid. Hiſt. de L'Academie Royale des Sciences, Ann. 1701.

Hanc infra Offam ſubintrat Vaginæ Foramen, ab Offa diſtans breviſſimo Spatio: Ex hoc effluxere Catamenia, per hoc etiam gravida facta fuit Mulier, haud magnam vero Tempore Coitus percepit Voluptatem; ſumma enim Penis Glans in hoc Orificium vix fuit intromiſſa, multo minus ipſa Virga. In hoc Foramen Digitum ægrè introduxit Chirurgus, eo ſcilicet Animo, ut ipſum Uteri Collum exploraret, quod tamen ne vel Tactu percepit, planè autem deprehendit Membranam craſſam hocce Orificium ab altero inferiore, jam deſcribendo, ſeparantem.

Eo ferè ipſo Loco, ſuperius vero paulu-lum, ubi in Mulieribus ritè conformatis adeſt Foſſa magna, inventum fuit Foramen alterum oblongum, ne vel minimi Digiti Apicem altius admittens, Recto Inteſtino, uti poſt Partum obſervatum fuit, pervium (quod à Sectione fortaſſe accidit): Nullus autem hic occurrit Sphincter: Inferius vero Rectum Inteſtinum, More ſolito, cum Sphinctere circundato terminatur.

Orificium hoc oblongum ab Orificio Vaginæ, Abdomine maxime Tumente, duos ſaltem Digitos tranſverſos diſtitit, inter quæ Membrana deſcripta intervenit ab interiore Parte, hujuſce vero Fiſſuræ oblongæ quaſi Labiorum coalitio exterius e ſuperiore Foraminis Parte.

Nulla hic Clitoris, hic nulla Oſſium Pubis adfuere Veſtigia, niſi, quaſi Apophyſes breviores ex utriuſque Oſſis Ilii Parte inferiore protuberantes, Oſſium Pubis Rudimenta dixiſſes. Hic fuit ante Partum Rerum Status. Die 18 Julii, 1722,

Horâ Noctis 11ª advocatus est *Bonnett* Chirurgus, ut parturienti Opem ferret. Perpensis omnibus, Fœtum invenit Vaginæ Orificium infra dilapsum, quem Muliere decumbente superiora versus propellere frustra adnixus est, ob fortissimos Fœtus Motus & gravissimos Matris Dolores, cui etiam jam supervenere Convulsiones, Syncope, &c. Vaginæ autem Orificium vix ac ne vix quidem dilatatum, ita ut illi jam jam moriendum esse fuerit omnium Expectatio.

In hoc miserrimo Rerum Statu, Misericordia & Humanitate adductus Chirurgus, posthabuit omnino, quid vel ignarum Vulgus, vel invidus hic garriret aut hic: Anceps experiendum esse Remedium potius quam nullum apud se statuit, Morte aliter citissimo ingruente Pede.

Parentibus periculosum Rerum Statum enarravit, nil nisi à Sectione expectandum, ancipitem prædixit Eventum.

Annu-

Annuentibus hujus miſerrimæ Matre, & aſtantibus, in Orificium oblongum inferius Scalpellum Chirurgicum introduxit, & uno Ictu Coalitionem Labiorum hujuſce Orificii & Membranam ſeparantem diviſit: Hinc in unum coivere & Orificium Vaginæ & oblongum inferius. Jam Digitis facilis Introitus, Orificium Uteri internum attrectavit; dilatavit paululum, Caput inde ſenſit Infantis: Quid plura? Fœtus Ori intruſo Digito, Puellulam vivam, probe formatam, mirantibus maxime aſtantibus, demum extraxit, quæ & adhuc & viget & valet: Uti etiam & ipſa Mater, quanquam poſt Puerperium Febre graviter colluctata eſt.

Jam à Partu Prolapſu ipſius Uteri divexatur, quo prolabente nec per Horas 8, 10ve reducto, eam dein ſi fortius intrudas, exiliunt è Meatibus urinariis deſcriptis Rivuli duo ad Pedis ſaltem Diſtantiam; Argumentum ſane Cyſtidis cujuſdam Urinam excipientis: Aliter revera ſuſpicaſſem Meatus iſtos duos urinarios ipſorum Ureterum fuiſſe Orificia, hic terminantia.

Quærat fortaſſe curioſior aliquis, quo forte Modo gravida facta fuit Muliercula noſtra. Illi reſponderem, Penis Intruſionem ad Prolem concipiendam haud abſolute eſſe neceſſariam, Seminis autem intra Vaginam Ejaculationem quam maxime. Vid. *Hiſt. de l' Acad. Royale des Sciences*, 1712. Videatur etiam *Mauriceau*.

Hujus Rei Narrationem tibi citius tranſmiſiſſem, ni diu, fruſtra autem hactenus, Mulieris alteram Graviditatem expectaſſemus, quum per ſat longum Tempus à Puerperio cum Marito cohabitaverit.

Vide Figuram Mulieris gravidæ p. 102.

A A. ſpongioſam aſſimulat quaſi Carnis Maſſam, quam Partem fuiſſe Chordæ umbilicalis autumo, Magnitudinis fere Ovi Gallinacei, tres vero Digitos longam. Ex hac duo erumpunt Fiſtulæ urinariæ *b b*, quæ Urinam perpetim extillant, nec ex ullo alio Orificio redditur Urina.

c. Ori-

c. Orificium Vaginæ, Cloacæ Galli Gallinacei quam fimillimum, fpiffo quafi Septo circumdatum: per hoc effluxere ἔμμηνα, per hoc etiam gravida facta fuit Mulier. Hoc Orificium, dum perpeffa fuit Mulier graviffimos Partus Dolores, nullo fere Modo dilatatum fuit, quanquam Anus ipfe, ob vehementiffimos Mufculorum Abdominis, &c. Contractiones, maxime hiaret.

d. Locum indicat, ubi inventum fuit Foramen oblongum, minimi Digiti Apicem vix admittens. In hoc, Tempore Puerperii, Chirurgus introduxit Scalpellum chirurgicum, idque ab hoc in Orificium fuperius adegit: Ita ut jam à Partu dehifcat monftrofum horrendum informe ingens Foramen.

Orificium fuperius tranfverfum ab inferiore oblongo (appropinquante Partu) 2 fere Digitos diftitit. Ex hoc magno Hiatu ipfius Uteri Prolapfum fæpiffime nunc patitur. Ex Loco etiam, ubi adfuit olim


Ori-

Orificium inferius, jam à puerperio, partim excretæ ſunt Fæces alvinæ: Hoc vero ante Partum minime obſervatum fuit, ita ut à Sectione forte acciderit.

Orificium hoc oblongum paulo altius quam par eſt in Figura deſignatur.

e. Anum repræſentat paulo magis antrorſum quam in aliis poſitum: Per hunc maxima Fæcum Pars egeritur.

Pudendum hoc, quale quale, eſt non denſe crinitum.



EPISTOLA ad JACOBUM JURIN, *M. D. R. S. & Coll. Med. Soc.* De Morbo Colico ſingulari.

VIR quidam quadragenarius,illioſus, ſcorbuticus, inter Optimates Damnonios haud infimus, nuper interiit, Pietatem propter erga Deum, propter univerſam erga Homines Charitatem, ab omnibus maximè deſideratus.

Diu ille multumque Colicis quibuſdam Doloribus, inferiorem præcipue Abdominis Regionem infeſtantibus, laboraverat, Flatu porro perpetuo & moleſto. His Biennium circiter, aut Triennium ante Mortem, acceſsêre Dejectiones bilioſæ, purulentæ, fœtidiſſimæ, cum Strigmentis ſæpè mucoſis, ſæpè ſanguineis; ita frequentes inſuper, ut perſæpè intra tres, quatuorve Horas Alvus vel vicies ſolveretur perſiſtente uſque Teneſmo: Tandem quoque prodiêre Carunculæ fungoſæ, lividæ, tetræ, quarum aliquæ Magnitudinis ſaltem Nucis

Nucis Myriſticæ. At vero utcunque Alvus citiſſimè ægrotum plerumque exercebat; nonnunquam tamen Morbo præſertim ingruente, foret adſtricta valdè cum horrendo Tormento; nec niſi Clyſtere ducta, aut Catharticis irritata reſponderet. Subindè quaſi Famelicus oblata quæcunque voraret; ſubindè ne quidem Delicatula vel ad Dapes exquiſitiſſimas, placerent: Æger autem indies emacuit.—Fuit illi Urina parcior, & ſemper bilioſa: Color Vultus luridus, ſæpe ſubflavus.

Tam dira, tam longa Mala infracto admodum fortique planè Animo pertulit, donec ſupervenerunt demum Tumor Pedum œdematoſus, Delirium, Facies *Hippocratica*, Sudor frigidus & oleoſus, certa, eheu, nimis certa! Mortis Prænuncia.

Varia fuerunt à variis præſcripta Medicamina, iiſque utique in Arte exercitatiſſimis celeberrimiſque Viris; ex Ipecacuanâ Scilicet *Emetica*, Stomachica, Deobſtruentia, Glutinantia, Balſamica, Adſtringentia,

gentia, Clyſmata multifaria, omnigena; incaſſum omnia, ni quod Laudanum, ad breve Tempus, foret miſero Solamen.— Quid Aq. Briſtol. & Bathonienſ. quid Spadana & Pyrmontenſ. quid, obſtinata, quid accuratiſſima è Lacte & vegetabili Diætâ potuerint, inani omnino Operâ experiebatur; ut ut per breves aliquot Dies aliquando recreatus videretur.

Sicut Vir optimus, dum viveret, omnibus prodeſſe alacriter, aſſiduè ſtudebat; ſic, vel moriens, ſe Publico devovit Commodo; rogans obnixè, ut, Cadavere inciſo, Cauſam Morbi tam pertinacis, tantam eludentis Artem, perſcrutaremur; ut melior fortè, detectâ nempe Cauſâ, pateret medendi Methodus, ſi quis alius forſan tali corriperetur Morbo.

Aperto Abdomine perſpeximus *Omentum* conſumptum planè & putridum, Hepar prætumidum, et ſchirrhoſis Tuberculis, ſubalbidis, duris refertum: Veſiculam Felleam Bile ſubnigrâ ſemiplenam;

O totum

totum Duodenum cum vicinâ Coli Parte eodem Colore perfusum; Pancreas maximè schirrosum: Mediam Ilei Partem ad 5 ferè Digitos inflammatam, & ferè lividam. Renes erant sani satis, nec Glandulæ Mesentericæ æquè schirrosæ, ac expectâssemus.

At quod maximè notandum, Pars Coli Intestini suprema, quam Veteres Cœcum nominârunt perperam (cum id potius ejusdem Appendici, ab iisdem ita nominatæ conveniat) in hocce Cadavere non, quod assolet, Reni dextero, seu potius internæ Peritonæi Laminæ Renem contegenti, adnexa fuit, mediante Appendice vermiculari, sed in Pelvim delapsa tres circiter infra Tulpii Valvulam Digitos cum superiore Parte Intestini Recti firmissimè concreverat: Porro levius adhæsit Peritonæi Tunicæ super Vesicam urinariam expansæ, sursum indè reflexa, faciens cum superiore Intestini Parte, (si ita dicam) Angulum valde acutum, sub cavo dein Hepatis ascendens & infra Ventriculi Fundum

dum porrecta defcendebat More folito & in Rectum defínebat. Cum primum autem notavimus ambo Inteftina & fupra infraque Adhæfionem Gangrænâ affecta effe, fufpicantes hic latuiffe Fundamenta Malorum, cautè admodum lentèque proceffimus Scalpello, imprimis aperiendo Rectum Inteftinum, quod ubi factum, vidimus internam Tunicam fphacelatam omnino, nigram quafi Atramento imbutam & maxime putidam; huic porro adhærentes fex feptemve Carunculas fubnigras, fungofas, quarum minores Magnitudine Nucem Avellanam æquabant. Perfcrutantes ulterius, Ulcus percepimus ex hoc Inteftino in Colon, ubi cohærebant, penetrans, Digito mediocri facilè patens: Inteftina vero adeo putrida, ut vix Tactum ferrent leviorem. Majorem Coli Partem Excrementis induratis obfervavimus infarctam, etfi plures liquidas Alvi Dejectiones habuit, paulo ante Mortem; tenuioribus nempè directè in Inteftinum Rectum per ulceratum Orificium tranfeuntibus; folidioribus autem in Colo reftantibus.

bus. Vesica urinaria fuit flaccida valdè intusque Muco subrufo oblita.

En! fidam utique licet minus elegantem Morbi Historiam! En quid inciso Corpore perspectum! Ex quibus Conjectura haud difficilis, quæ fuit Causa Morbi: Ex Anatomicis enim notum est, quod Concretio Intestinorum inter se aut cum Peritonæo, Motum Peristalticum minuit maximè. Vid. *Cowperi Anatomiam. explic. Tab.* 34. Unde ad Locum Conglutinationis tarda admodum debilisque Excrementorum Impulsio, eorundem Congestio, Remora sequentibus; fortè duris & acutis lædentibus, qualia Ossa Prunorum deglutita, aut tale quid; fortè acribus & biliosis Humoribus non satis valide motu vermiculari propulsis, sed ad Angulum Coli acutum subsistentibus; exinde aut Intestini Inflammatio, aut Corrosio, Ulcus denique sequebantur; tandemque in Homine valdè Cachectico Gangrena.

Plymouth, Prid.
Id. Mart. 173$\frac{0}{1}$.

F I N I S.